

Aus d. Grinberg. Ausdruck

Nr. 59.1.

I. N. I.

DE

PSALMI CX.
SCHEMATE POËTICO
ET PROPRIO ARGUMENTO

AD MENTEM CHRISTI MATTH. XXII. 41 — 46.

DEO CLEMENTER ADJUVANTE
PRO GRADU DOCTORIS THEOLOGI

RITE CONSEQUENDO

SOLENNITER DISPUTABIT

PRÆSES

PHILIPPUS JACOBUS MÜLLER

S. THEOL. P. P. O. CAP. THOM. CANON. ET ECCLESIASTES

ADSCITO RESPONDENTE

M. ISAACO HAFFNER, ARGENT.

COLLEG. WILH. PÆDAG. ET ECCLESIAST. GALL.

au

DIE X. AUGUSTI MDCCCLXXXIV.

HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS.

ARGENTORATI, Typis JOH. HENR. HEITZII, Univ. Typogr.

PSALMUS X.
SOLAMATIA PROPTERO
PROPTER DILECTIONEM

— — — — —
PRO GRANIS DOCTORIS THEODORI

IN HONORES

SOPRINICUS DIAPUSTRAT

CHILIAZ TACCOVS MULIER

ET JOHN F. S. O. CIV. THOM. GOW ET SOCIIS STES

MS
M. TACCO HABENS ARDENTI
ADIEO PERTINENS

DIX AUGUSTI 1588
TACCO HABENS ARDENTI
HONORABILIS SOCIUS STES

— — — — —
TACCO HABENS ARDENTI

ILLUSTRI COLLEGIO
ARCHI-PRESBYTERIALI
ADSCRIPTIS
VIRIS
MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS
PRUDENTISSIONIS
EJUSDEMQUE
CONSILIARIO
EXCELLENTISSIMO
QUORUM PROVIDO MODERAMINE
SUUM RELIGIONI CONSTAT APUD NOS DECUS
PRONO AC BENEVOLO TUTAMINE
BONÆ LITERÆ RELIGIONI MINISTRANTES
FOVENTUR.
TOTQUA

AMPLISSIMO COLLEGIO
DISPENSATORUM
LIBERALITATIS GOLIANÆ
ADSCRIPTIS
VIRIS
DIGNITATUM MUNERUMQUE SPLENDORE PRÆFULGENTIBUS
DE RE PUBLICA ET LITERARIA
IMMORTALITER MERITIS
SACRAS ESSE VULT HAS PAGINAS
GRATISSIMAMQUE MENTEM
OB FAVORIS DOCUMENTA PLURIMA
VENERABUNDUS TESTARI
BONAE LITTERÆ REIQUIO MINISTRANTES
AUCTOR.



PROCEMIUM.

Ab eo inde tempore, quo Psalmi CX. verba, sententias, &conomiam poëticam accuratius rimari coepi, identem subiit mirari, qui factum sit, ut, cum in aliis Psalmis, quos Messiae vindicat & Exegeticum judicium incorruptius & ~~securius~~ auctoritas, non dubitarent docti non minus quam pii interpres vel in Messiae personam transferre quæ suis verbis Psaltes eloquitur, vel ex dramatico dialogismo sententiarum seriem informare, in hac sublimiore oda nihil propemodum in hanc partem tentaretur. Præter PAPIUM nemini mihi innoutuit qui ad Lyrici dramatis typum aliquem interpretationem adornaret æstheticam dictorum lucem vietamque exponeret. Subnexuit ille Commentationi, quæ cap. LIII. *Ejus* exegesin habet, *Bremæ* 1777. editæ, Psalmorum aliquot, in his nostri, versionem Germanicam alloquiorum vice prænotata. Primum ille comma simplicem sumit habere Prophetæ commemorationem de Jehovæ Messiam inaugurate decreto. Commatibus dein 2. 3. 4. eundem Prophetam facit animi sui sensus lætaque præfigia e proclamato decreto concepta Messiae gratulabundis vocibus aperientem; eundemque rursus vñ. 5. 6. 7. ad Jehovam directo sermone Messiae viatorias poëticæ expingentem. At mihi quidem quo minus in doctissimi viri ratione dramatis contuendi acquiescerem plura obstatiterunt. Primum frigidior accidebat meo sensui hypothesis Prophetæ eas partes tribuens, ut, quæ Messiae viatoriae in

A

ipso jam edicto strictum prænuntiatæ fuerant, easdem ille
 Jehovæ vividioribus faltem coloribus exponat. Deinde cum
 auspicale carmen inaugurationem sacerdotalis suprematus
 celebrans œconomia quoque poëticæ extantiorem similitudi-
 nem fervare cum regia auspicia canente Psalmo secundo per
 se opinabile judicarem, non ex vano mihi captaturus videbar
 dramaticam Pl. CX. conformatiōnem talem quæ, actionis
 scena in cœlestibus comitiis instruēta, non alloquiorum unius
 personæ mutatas vices, sed plurium personarum & chori in
 loquendo alternationes haberet. Ægre enim adducebar, ut
 sex priora Ps. II. commeta Davidi, ex ea quam in his terris
 gerebat persona loquenti, tribuerem, sed multa erant quæ
 mihi persuaderent, hic non uberior exponenda, imitativam
 illa habere ex persona primarii ministri Jehovæ, in quam se
 quasi transformat vates, populorum regumque increpationem,
 cui schemati suaviter meo sensu congruebat comma septimum
 præconis voci Mefflæ nomine decretum Jehovæ promulgantis
 transcriptum. Choro tandem si v. 10. 11. 12. partes deputen-
 tur & increpationis & decreti proclamati reverentiam regibus
 & judicibus terræ incutendi, rotundatam servari arbitrabar
 poëmatis formam. His igitur rationibus in hanc partem in-
 clinatus, cum Ven. Facultatis Theologicæ jussu meas quales-
 cunque meditationes illustrando problemati a Christo ex Psal-
 mi CX. v. 1. Pharisaicis magistris ad disceptandum *Matth.*
XXII. 41. fqq. proposito impenderem, neque adeo facere
 possem, quin Psalmi verba & sententias tractarem enucleatus,
 factum est, ut insitis utrique textui argumentis in drama-
 tico conspectu personarum Patriarchalis ævi colloquentium
 confirmarer, & ab inolito allegationem Servatoris argumen-
 tationemque inde ductam intelligendi modo secedere nil du-
 bitarem. Discussionibus his cum maxime immerso adferre-
 batur avide expectata HERDERIANI de *Ebraica Poëseos interiore*
indole operis pars secunda, ubi p. 323. Psalmos videbam, ad
 signatores internæ œconomiae characteres in binas claves ita

descriptos; ut in inferiore censeantur qui unum præferunt sensum plana simplicique imagine explicatum, in superiore qui Lyricam picturam vel ob rei objectæ amplitudinem, vel ob effectus exundationem diducunt, atque audacioribus figuris membrisque contrapositis variant. In hac classe sublimitate præcellere ait odas, quæ principem imaginem *ἰατοτεώτως* & instruta actionis progredivt scena (*Lyrische Darstellung und Handlung*) diducunt; auspice utrumque carmen Ps. II. & CX. meritissimo in hujus classis Psalmorum recensu ponit vir acutissimus Attamen colloquii vestigia in neutro agnovit. Psalmum CX. quoniam regiam Davidis ipsius inaugurationem canere existimat, versionem, crisi & interpretationem pag. 404. sqq. ad hanc hypothesis ita accommodat, ut sententiae omnes gratulabundis Poëtae ad regem consecratum vocibus deflant. An idoneæ mihi rationes fuerint in diversis criseos & interpretationis partes concedendi, an adscita alternantium vocum hypothese actiuaæ vividæque *ἰατοτεώτως* Lyricæ de-
cūs adstiterim, ambitumque odæ in principis sententiae *ἄριψιν* desinentem recte repræsentaverim, viri harum rerum periti judicabunt. Omnem mihi cum dissentientibus controversiam non de aliquo divinioris doctrinæ capite primario fore auguror. Tametsi enim plurium calculos non latura sunt quæ divinitati Christi e collatione aliquot locorum in cognato argumento versantium cum Ps. CX. comparare studui firmamenta, tamen id quod rigidæ demonstrationi ex Matth. XXII. 41. coll. Ps. CX. deesse sive recte sive secus judicetur, facile ex ceteris gravissimi dogmatis evidentioribus immotisque fulcris Hebr. I. Rom. IX. 5. Joh. I. 1. 2. 3. supplebitur. Omnino enim in argumentationibus contra Antitrinitarios scripturaris valere velim illud HILARII de Trinitate L. IV. f. 14. T. II. pag. 66. cd. Bened. Non ad fallendam & male imbuendam audientium imperitiam, quasdam verborum enunciations, subtractis eorum causis coaptabimus. Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res sed rei sermo est sub-

jectus. Verum omnia , editis simul & dicetidi causis & dictorum
 virtutibus persequemur. Licuisse igitur mihi putavi in collo-
 quii Jesu occasione & tempore nec non in Judaicis de digni-
 tatis Messianæ principe ratione opinionibus problematis ex-
 ploratori *causas* pervestigare, licuisse rursus in Psalmi poëtica
 ratione meditanda *dictorum virtutes* persequi, sensumque ab
 his perinde ac a grammatica suggestum non illatum sed innatu-
 dum existimare. Atque in sublimioris circumscriptiorisque
 Christologæ præsidis e Psalmorum libro conquirendis sobrie-
 tam etiam sequi haud peniteat, quam idem Pictaviensis præful,
 si minus ipse usquequa servavit, at graviter commendat.
 Ita vero ille super *Ps. LXIII.* T. I. p. 137. Cavendum est, ne,
 dum omnia convenire in Dominum nostrum aequaliter opinamur,
 per assertionis hujus studiosam intentionem plurimum &
 divinitatis sua dignitati & corporacionis sacramento , & operatio-
 num potestati & passionis virtuti & resurrectionis glorie de-
 trahatur. Teuendus igitur modus: diligenter ac cante consti-
 tuendum est, quid de divinitatis sua nativitate, que ei a patre
 est. (scilicet *Psalmi II.* illud: *Tu es filius meus &c.* ad Messiae
 redditum in vitam refert HILARIUS) fuerit prophetatum , quan-
 do ejus hominis quem assunxit , persona tractetur , ubi operatio,
 passio & resurrectio predicitur: quid vere unicuique temporis
 congruat &c. Exopto igitur mihi lectores qui ad amabilis hu-
 jus moderationis sensum vel ex suo se ipsi in hac literarum
 parte uisu & lapsuum admisorum diligent observatione acue-
 runt, vel eundem etiam pure lectis Ernestianis libellis egre-
 giis de libertate ingenii in causa religionis & *Narratio Critica*
 de Interpretatione Prophetiarum Messianarum in Ecclesia Chri-
 stiana Opusc. Theol. p. 533. sqq. & p. 495. lqq. aluerunt, nec
 præterea ejus lucis expertes , quam recentior ætas per Poë-
 seos Hebraicæ considerationem accuratiorem Psalmis & Pro-
 phetarum libris asudit. Qui enim cognoverit magnum in his
 literis arbitrum LOWTHUM de sacra Poësi Hebreorum T. II.
 p. 583. præter extantia & palam apparentia Lyrica dramata

* 5 *

plura adhuc latere suspicatum esse, interpretum sagacitate sua
formæ reddenda, eique adsentiri Ill. MICHAELIS in nota p. 584.
næ is animum habebit ab exegetico periculo, quale his paginis
factum est, minus aversum. Sic etiam qui Hebraicarum litera-
rum usu subactus vocum מִלְאָקֵה & מִלְאָכָה homonymiam habet
perfectam clementius & de altero illo periculo, quod in ex-
plicanda formula in πνεύματι & voce αὐτῷ feci, judicabit. Neque
enim omnes meas in Psalmi themate & Servatoris inde ducto
suprematus Messiani argumento constituendo rationes unice
a Grammaticis ipsis assertionibus, extra omnem oppositi for-
midinem utique haud positis, habeo suspenas. Potest enim,
incolumi mea de Jehova decreto per præconem coelestem
five comitiorum coelestium ministrum primarium proclamato
hypothesi, ipse David locutus a Christo perhiberi, quatenus
qui tam eximiam personam Domini elogio Messiam compel-
lantem suo carmine inducit divino Spiritu actus, ipse, (&
ex vulgatore quidem pronominis acceptione) censendus est
hoc Spiritus divini admonitu majestatem Messiæ non ex solo
regio sed ex adjuncto supremo sacerdotali fastigio estimasse.
Potest in πνεύματι apud Matthæum, perinde ac in πνεύμασι ἀγίοι
apud Marcum, instinctum significare, quo poëticam Davidis
facultatem rexit atque informavit Spiritus Sanctus, & tamen
hic ipse instinctus cum aliqua emphasi intelligi, ita quidem
ut Psalteries innuantur in eum animi habitum compositus fuisse,
quo fuerunt Prophetæ, cum ipsis in aliqua ecstasy constitutis
visiones obtigerunt, vel cum, vividioribus sensibus, internis
elati, in eminentiores se personas quasi transformarunt. Eam
denique Lectorum meorum exopto æquitatem, qua vagas
accusationes pruriens ad nova, simplicia naufragantis & hypo-
theses perdite amantis animi cohipeat. Per confirmationis &
illustrationis necessitatem in loca incidi difficiliora tum ob
vocum phrasiumque ambiguitatem, tum ob minus obviam
series, quæ sententias nequit, rationem. Hebraismorum in N. T.
nondum est omnis horreis illata messis. Simplicitati igitur

A 3

litat non is maxime qui ubivis trita, obvia, feriori occidentalium cogitandi & loquendi modo confona propinat, sed qui sensum primis lectoribus ex Hebraica consuetudine ultro se ingerentem justa Alexandrinorum interpretum collatione aliisque haud fallacibus indicis deprehendit. Nec prurit qui nova & indicta ore alio mode profert, doctiorum judicia experthus. Careant ergo invidia doctorum Academicorum in eo genere conatus, de lapsibus moneantur comiter, celant vero ipsi lubentes & vel systema suum, si quod habent, in re critica, historica, exegética extructum, ruere videant tranquilli, ubi subfractio[n]es gravibus arietibus labefiunt. Faxit luminum Pater, ut in virium tenuitate voluntas mihi perpetua sit ad salutaris veri illustrationem & justo libertatis in investigando usu & ingenua liberalitate in culpis confitendis erroribusque retractandis connitendi.

SECTIO I.

Anacrisis problematis a Christo Matth. XXII. 41-fin.

Marc. XII. 35-37. Luc. XII. 41-44.

e Psalmo CX. propositi.

CAPUT I.

Tempus & occasio colloquii.

Tempus & occasio instituti a Servatore colloquii qualis fuerit primum nobis venit investigandum. Vix enim aliter patescere poterit quid potissimum erroris adversariis eximere, quid veri eorum animis insinuare, quamnam potissimum dignitatem & præcellentiam Messiae ex Psalmi centesimi decimi

auctoritate vindicare voluerit. Relegenda igitur nobis sunt rerum a Jesu antea actarum vestigia.

Commemoraverat Matthaeus praecedente cap. XXI. Iesum urbem Hierosolymam solemni pompa intraisse ultimis viis actibus ibi funeturum. In hac igitur ultima commemoratione non tantum docendi provinciam statim confessibus palam & confidenter capefssivit, verum etiam mercaturam ibi facientes expulit. Quod quidem facinus temerarium & intollerandum interpretati Judæorum antistites optimum magistrum in ipsis templi atriis adierunt, sciscitaturi quo jure fretus hanc sibi non publice tantum in templo docendi, sed templi etiam politiam externam, insuper habita procerum lege publica constitutorum auctoritate, reformandi arrogaret.

Sumo jam defensionis qua tunc usus est Jesus summam eo redire, ut sibi dicat hanc potestatem satis superque ex Iohannis Baptista missione vindicatam esse. Quodsi enim ejus baptisma non e terra sed e cœlo fuit, i. e. si Prophetæ iuribus divinitus missi præpolluit, Iustralique aqua tintos ad melioris religionis formam initiauit civesque regno Messiae aggregavit sola *parvula* lege obstrictos, necesse est ut dignitate & de religione cultaque divino præcipiendi auctoritate supra omnes antiquioris ævi Prophetas eminuerit. Jam cum ex Theocratici, quod vocant, regiminis formula, uti egregie in *Jure Mosaico* T. I. pag. 188. sqq. docuit Ill. MICHAELIS, dudum in republica Iraælitica ratum esset atque constitutum, ut qui semel idoneis argumentis Prophetæ *discipula* sibi adseruisset, is, eo maxime tempore quo divino adhuc tactus Numinis mandata publicis concionibus deferebat, nulli doctri^{ne} five antistiti ordinario esset obnoxius, ipsique adeo regi nefas esset Prophetam vel aulæ dedecora & gubernationis vitia publice reprehendentem vi interposita retundere, hinc adversarios vult intelligere quanto potiori jure is, quem Johannes Baptista jam adventurum nunciasset, Prophetæ summus omnem facrorum præfecturam in potestatis alias legitimæ exercitio

suspensus sit docendique provinciam Sacerdotum arbitrio
exemturus.

Hæc si defensionis, quam Phariseis & Legisperitis paulo
ante opposuerat, vera mens fuit, argumentationisque, quam
dilemmatica interrogationi involvit, verus nervus, judicatu
jam per se proclive esset, problema a Jesu in nostro textu
propositum ad eandem metam tendere atque eo maxime esse
comparatum, ut ex liquido, Messiae majestatem depingente,
oraculo vincat, in ratis præscæ Ecclesiæ sententiis fuisse, ut
Messia terris ostendo antiquanda crederetur omnis sacra potes
tas templo & Mosaicæ legis decretis alligata. Hoc, inquam,
consilium per se suspicari prouum esset, etiamsi in Evangelii
starum narrationibus nil quicquam de eo admoneretur. At
bonum factum. Extant apud Matthæum & Marcum indicia sat
luculentia colloquium hoc, quod elucidandum nobis est, in
istum scopum non tantum collimasse, sed plane etiam ad
eundem temporis articulum esse referendum, quo docendi in
templo jus ex baptisme Johannis adstruxerat.

Etenim Matthæus colloquii hujus occasionem his verbis
refert: συνημένον δὲ τὸν φραστὸν, ἐπωνόμειν αὐτὸς ὁ Ἰησος. Marcus autem his: καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησος ἔλεγε οὐδέποτε εἰ τῷ ιερῷ. Si igitur Marco auctore intra templi pomœria colloquium hoc
habitum fuit, & Jesus ἀποκριθεὶς exegeticum suum problema
adversarii propositum, sive jam verbum ἀπορίᾳ vulgari no
tione respondendi capias, sive eo quem LXX. Ezech. XIV. 3.
usurpant, quo est *questiones ultra proponere*, in promptu est in
telligere, verba Matthæi συνημένων δὲ τὸν φραστὸν per τὸν αὐτὸν
esse supplenda, in qua junctura & alias occurrit, veluti Act.
IV. 27. quemadmodum & capitulis nostri v. 34. ex meliore co
dicum Latinorum antiquissimorum lectione eadem phrasis de
simili horum litigatorum assulito adhibetur; ut adeo integra
fententia & scena facies hæc existat: eo ipso tempore quo
Pharisei globo facto Jesum in templo docentem objurgarunt,
& ut facti hujus rationes ederet postularunt, Jesus, qui
intelligeret

intelligeret adversarios argumenti e baptisme Johannis ducti virtute parum commotis, cuperetque potissimum suam immunitatem a sacerdotali quoque imperio liquido arguento adstruere, more in Synagogis recepto quæstionem de sensu insignis oraculi Messiani scholaistica disceptationi commisit.

Jam cum hac problematis propositi occasione egregie concinere argumentationem, qua Messiae præcellentiam & eminentiam, maxime sacerdotalem, ex Psalmo CX. confirmat, ut luculentius appareat, ex antiquitate Judaica nonnulla sunt prælibanda, quo magis deinceps dicenda luceant.

I. Revocanda hic in memoriam est illa, forsitan ab antiquiore jam ævo instituta, a Davide autem reformata, Sacerdotum secundanorum in 24. classes, secundum capita familiarium distributio', que Hebreis vocantur פָּרוֹת, מְלֹכֶת, מְשֻׁבְּרוֹת. Graci modo παριστέσθαι appellant, modo ἐπισκέψεις, modo μάρτυρες, sacerdotiæ autem ἐπιμελεῖς. Harum singulæ hebdomadis spatio per vices templi ministeria obibant capitibus suis subjecti qui in N. T. ἀρχηγοί nomine commemorantur.

II. Citeriori ævo, quo instituti initio nescitur, in ipso templo fuit בֵּית הַכְּנָסָה domus seu Synagoga precibus & prelectioni atque legis expositioni consecrata. Ex magistrorum traditionibus duobus in templi locis hanc Synagogam suos celebraffe conventus, alios in eo quem Israëlis vocabant atrio, intra quod nemini licitum erat sedere, & ubi Summus Pontifex finitis sacris diei expiationis Legem populo prælegit & varias benedictiones solenniter recitavit; alios autem conventus agebant in eo, quod mulierum dicebatur, atrio, de quo tamen VITRINGA dubitat, an unquam tale fuerit, ubi sedere licitum erat. Cum vero & alias Judæorum magistrorum monumenta proditum sit celebrioribus Synagogis junctum fuisse conclave, distinctum a loco communibus religionis exercitiis & nudis recitationibus sacris destinato, in quod viri docti ad docendum aut disputandum convenerint, quæ scholæ, ut Synagogarum appendices, בֵּית מִדְרָשׁ alias dictæ, hoc ipse

nomine Synagogæ aliquando signatae sunt, admodum inde probabile fit, jam Servatoris ætate simile institutum viguisse. Sic enim facilime explicatur quomodo Jesu duodecim annorum puer, cum in templo remansisset, sedens in medio magistrorum fuerit repertus.

III. Doctissimus VITRINGA de *Synag.* vet. p. 36. sq. ubi in eo est, ut ad extraordinarios templi ritus referendum esse doceat, quod in facris voluminibus historicis aliquoties reges legantur in templi atrio ænea aut lignea exstrui curasse suggerita, ex quibus cum ad Deum tum ad populum verba facerent, magno doctrinæ apparatu probat, scitum illud Talmudistarum famosissimum, nulli licitum esse federe in atrio Israëlis, sive in atrio interiori, præter reges ex Davidis prosapia oriundos, ex male intellecto loco 2 Sam. VII. 18. percrebuisse, ubi si textus verba ex vera sua vi æxstimentur, nil aliud illa sonant, nisi hoc: Davidem, insignibus a Nathane nunciatis Dei beneficiis excitatum ad gratias Deo agendas, Tabernaculum intrasse & coram Arca aliquod temporis spatiū supplicationibus exegisse. Etenim verbo בָשֵׂר potestas perseverandi plus femel hæret. Josias rex, 2 Reg. XXIII. 3. legem populo prælegens & foedus inter Deum & populum percutiens, diserte dicitur stetisse apud columnam; Josaphatus autem 2 Chron. XX. 5. simpliciter stetisse in Ecclesia Jehudæ & Hierosolymæ ante atrium novum. Hinc ABARBANEI ad illum Samuelis locum observat, sententias magistrorum esse divisas, pluresque defendere, cum ne Angeli quidem in templo sedentes memorcntur, sed Seraphos stantes Efajas inducat, ipsos e Davidica prosapia regas jure ibi sedendi exclusos esse.

IV. Hinc pronam se dat observatio apprime huc pertinens. Ubi in Evangelistarum commentariis Jesus in templo docuisse dicitur, non is ad confusaneam turbam verba fecisse censendus est, sed ad separatos coetus per alternas forte vires in conclavibus רְשָׁבּוֹת dictis congregatos. In horum

conventibus quicquid peragebatur vel religiosorum munium vel scholaſtice exercitationis id omne regebatur a praefectis Chaldaico vocabulo פָּנָסִים *pastores*, alias שְׁדֵךְ *disceptatores*, συγνηταί, alias communī nomine רַבִּים dictis. Videtur autem scholaſticus hic principatus gradibus fuisse distinctus, & per orbes redeuntes ad ephemeriarum facerdotalium typum docendi munia in templi Synagogis esse adminiftrata. Cui politia quin Jesus suas docendi vices accommodarit atque archisynagogi modo secundarii, modo primarii partes obiexit, eo minus est dubitabile, quod violentam synedrii incurſationem ex eo maxime capite reprehendat, quod ipſe non tumultuarii, clandestini & in hanc provinciam temere ac spreto decoro posthabitusque ordinis legibus involantis doctoris personam egiffet, sed καθ' ὑπέρ inter eos fuisset; non quo Servator apud animum ipſe ſuum hoc praeципuum doctrinalis potestatis tutamen eſſe ſtatueret, auguſtioribus titulis, quos in nōstro & ſupra memorato textu urget, quaſi diffiſus, ſed ut in hac forenſi defenſione καὶ ἀνθρώποι ceneſatur & pruidenti οὐκαταλάσσει hunc ſolum clypeum actioni ipſi ob ſumtam publice docendi auctoritatē intentat obmovere voluiffe.

V. Quæ de propheticis scholis VITRINGA congeſſit de Synag. vet. p. 330. ſqq. eo mihi videntur pertinere, ut priſci hujus iſtituti ad ſanctioris disciplinæ propagationem compa- rati plura juſcidentur Eſra temporibus, vel paulo poſt ad poli- tiam Synagogarum adjuncta. Jam, ſi per illam iſtitutionis religioſe administrationem ſic ſatis Pontrificum imperio ſoluti erant ſubtilioris Theologiae Judaicæ explanatores, intelligi- tur, qui factum fit, ut Jesus in ejusmodi ſodalitorum con- feffibus intra templi pomœria docens capitum Synedrii fla- graret invidia, incurſaretur in atrio a Pharisaicis & plebeji etiam ordinis hominibus, & eſſet tamē legum & politiæ pu- blicæ clypeo teſtus.

VI. Hæc obſervata eo tandem pertinere velim, ut quo- cies in Evangelistarum commentariis legendis in periocham

incidimus, quæ rem ab Optimo Servatore gestam, aut sermonem ab eo habitum concisius & per summa tantum capita exponit, nec scenam per omnes suas partes plene instructam exhibet, toties legum interpretationis historicae memores ita inducamus animum, hominem sapientem, ubi in aliqua luce & celebritate hominum loquitur, non magistrali supercilio prolati paucis verbis conticescere. Nec in postremis vitiis homiletarum & commentatorum pono, quod rarissime lectors & auditores de hoc admoneant. Ast bona pars priorum nimis adsuevit Optimum Servatorem sibi fingere in quovis sermone de dogmate quodam aut vivendi regula subtiliter pronunciantem & futurorum religionis suæ antistitum & nunciorum locis communibus quasi prospicientem, quantumvis Ille in argumento versetur ad personas, loca, tempora aliasque *περισσοτέρων* informato & circumscripto.

Quodsi igitur hujus scopuli timidus Jesu colloquium, quod Messiae fastigium ex Ps. CX. adstruit, expendo, ægre a me impetro, ut existimem Jesum in confessu doctorum sive *συζητήσαν*, ubi dubiæ quæstiones in utramque partem disceptari & ventilari solebant, cum ad exercenda disputatorum ingenia *ἰνδιλοφάνειαν* dissolvendam proposuisset, pauca tantum ista ab Evangelistis memoriaz prodita verba adnumerasse, nec addidisse aliquos nutus, qui de Pharisaico præjudicio nondum istum implicante monerent. Sin autem morem problematum ista *βραχυόντα* servatum contendat aliquis, tum vero vicissim ut mihi concedatur postulo, ex præcedenti disputatione ab adversariis sat fuisse intellectum, sapientissimum magistrum Psalmi CX. oraculum in caussæ suæ ante disceptatæ præsidium advocare. Enimvero cum in isto temporis articulo atque imminentे ministerii in his terris obeyundi fine Jesus publicum in templo doctorem assidue ageret, Sacerdotumque qui in *ἐπηρεγέλλεται* erant & vero Pontificis Summi invidiam incurseret, a quorum quippe auctoritate in hac Messiani offici provincia administranda pendere nolle, consentaneum est,

credere Eum non uno modo Judaicis erroribus Messiae dignitatem obscurantibus occurrisse. Ecquid igitur absonum est judicare Phariseos & Legisperitos a Synedrio & Sacerdotibus subornatos variis captiosis quæstionibus & objectionibus Eum esse adortos? Annon quæ de magistris templi præfecturis commodum a nobis sunt allata conjectura locum faciant, agitatas forte fuisse in prægressis paulo ante colloquiis has similesve controversias: an Messias alia præterquam quæ regio fastigio annexa essent in templo munia obiturus, an Sacerdotum imperia in templo per classium capita administrata abrogaturus sit? Hinc forsan, ut fit, ubi de arduo quodam doctrinæ capite ad summam religionis & reipublicæ pertinente disputationes fervent, alia ex alia incidebat quæstio, cum tricarum Mischnicarum adeo feracia illius jam ævi magistrorum Judaicorum ingenia essent. Multa illi forsan garriebant de Summi Sacerdotis maiestate, cui soli coram arca in sanctuario standi jus erat, de antiquorum regum in hunc antistitem reverentia, a quo quippe solo librum prælecturi acceperunt, disquirebant forsan fubtiliter, textibus sacris & traditionibus in alienos sensus detortis, an ex Messiae dignitate futurum sit, ut Synagogæ templi præsidis רְכָנָסָת שָׁנָה dicti personam fumeret, ibique doceret καθ' ιμέραν.

Ast quid fiet, inquis, de Evangelicæ historiæ sinceritate, si cuivis liceat ex ingenio, quascunque sibi finixerit in rerum gestarum serie aut sermonum filo, lacunas supplere? At nec ego huic licentiae frena laxanda putem, nec meo facto tale quid temere audiendi signum fustulisse mihi videor. Etenim id faltem mihi concedi volo, ansam huic problemati ex aliqua controversiarum, quæ tum temporis Servatori cum Judæorum magistris super docendi jure ejusque fonte reciprocabantur, esse porrectam. Sed non ex vano a me hanc hypothesisin arripi, fuisse per idem tempus inter Jesum & ejus adversarios de Summi Pontificis ὑπεροχῇ & Sacerdotum qui εφημερίᾳ præerant in templi ministeriis regundis auctoritate, ne a Messia

quidem, utpote regiis operibus functuro, violanda, hanc, inquam, hypothesin non esse merum cerebri figmentum ex Joannis Evangelista commentariis infra planum facere conabor.

Sed quicquid de hac hypothesi statuere lectoribus libeat, id saltem ex accuratori periochæ nostræ tractatione planum me spero facturum problema a Christo propositum eo tendere ut ex Psalmo CX. oraculo æterni & supremi sacerdotii auctoritatem & fastigium, regiam maiestatem cumulo insigni aucturum, sibi portendi inuitat, unde suprema & *ἀνωτερούς* docendi potestas simul abunde erat asserta. At non in obscuriori & ambiguo nutu substituisse Servatorem, sed colloquio hoc finito apertius significasse, non omnem a se usurpari iurium suorum in templo & Synagogis eminentiam, non inepte mihi colligi videtur ex proxime huic colloquio a tribus Evangelistis subiuncta Christi ad audientium promiscuam turbam, secundum Lucam vero ad discipulos, oratione, qua γερουσίαν fastum perstringit φιλέσθως ἀπασχεῖς ἐν ταῖς ἀγοραῖς καὶ προσκόποις ἔργοις ἐν ταῖς συναγογαῖς καὶ προσκοπαῖς ἐν τοῖς δίκαιοις καὶ πονηροῖς ἵνῳ τὸν ἀνθρώπων πάλιν πάλιν, a quo elogio sue doctrinæ præcones abstinere jubet, hac addita ratione: οὐ γάρ ἐστι ὑμῶν ἐ καθηγητής In qua dignitatis Messiaæ propriæ designatione si quis dicat expressam esse suprematus doctrinalis, qualem Ps. CX. Messia vindicat, notionem, & etymologia ipsi faveat & militaris præfecturae in Psalmo regnans imago. cf. WETST. h.l.

CAPUT II.

Colloquii Anacrisis & argumentationis a Christo in adversarios destricte evolutio.

Palmariam aggredior tractationis meæ partem, ostensurus Jesum Messiaæ maiestatem ex Psalmo CX. ita dare evictam, ut simul clavem nobis porrigit istius odæ recte intelligendie,

non illam quidem adhuc ab interpretibus arreptam nēdum usurpatam. Etenim haud leves rationes in hanc me induxere sententiam, ab ipso Domino Psalmi in Lyrici dramatis formam compositi rationem nobis præmonstrari. Id igitur, ut & aliis persuadeam ita me spero effecturum, si verum verborum: *αὐτὸς οὐδεὶς ἐν πνεύματι κέπον αὐτὸν καλεῖ* intellectum ex collata maxime Petri Apostoli *A&T. II. 34.* ab eodem oraculo ducta argumentatione adstruxero.

I. Probatur ex sensu formulae in πνεύματi Davidem ex mente Christi adsumta eti Patriarchalis persona loqui.

Vulgaris ratio heic nil cogitare jubet aliud quam divini Spiritus adflatum, cui graves non tantum Psalmi sententiae debeat, sed ipse quoque verborum, ut in illustriore vaticinio, delectus. Nec is ego sum qui negare audeam formulam hoc ipsum significandi officio fungi posse. Ait hoc loco

1. formulae vim hoc sensu non exhaustiri colligo

a. ex alias omissa mentione Spiritus oracula függerentis, ubi ad illa vel a Jesu vel ab ejus Apostolis ad fidem dictis faciendam provocatur. Cum enim de divina Psalmorum, qui Davidem vel alium antiquiorem Prophetam auctorem indubium haberent, inspiratione inter Judæos quibuscum Domino & Evangelii primis praconibus disputandum erat, non dubitaretur, vix attinebat demonstrationum vim ista additione stringere. Si quis unicam illam instantiam obmoveat ex *A&T. I. 16.* ubi Petrus Spiritum S. per os Davidis de Judæ crimen & proscriptione præciniuisse dicit, illi equidem non idcirco concederim, Apostolos Spir. S. commemorationem in citandis V. T. vaticiniis arbitrio mere fortuito alias adjecisse, alias prætermisssisse, sed hoc ipso exemplo adjuvari potius existimo, quam deinceps tuebor, caussam. Luculenter enim ex hoc quoque loco intelligitur, adjunctionem hanc tum maxime ipsis visam esse ratiociniis

firmandis idoneam, ubi Psalmum excitarent, cuius auctor ex sua ipsius persona loqui poterat videri, ex aliena autem revera loquebatur. Ac nescio annon hujus moris observatione factum esse putemus, ut, cum *Act. IV. 25.* Apostoli legerentur Deum invocantes, qui per os Davidis populos & reges in Jehovam & Messiam rebelles increpuit (*Pf. II.*) antiquiores quidam Scholiaſtæ monere fatagerent, Pfalten per poëticam odæ configurationem in ministri & interpres comitiorum coelestium personam transformatum indignabundas illas in Messiæ contemtores voces mittere, quas igitur fas omnino sit pro voce Dei habere. Hinc marginibus codicum fluorum alii *σιν πνεύματος ἀγίου*, alii *πνεύματος ἀγίου*, alii forsan, ut ex variantium farragine conjicere licet, *σιν πνεύματος*, omisso epitheto, adleverunt, librariorum sedulitatem ad variam textus interpolationem proriantes.

- b.** Ex repetitione verborum *ἐν πνεύματι* v. 45. quæ rationibus criticis haud spernendis textui Matthæi adseritur. Etenim præter duo antiquiores & recentiores codd. complures, versiones quinque vetustæ huic lectioni suffragantur. Et quamvis alibi facile largirer, oscitantibus librariis, ob reliquæ sententiaz cum v. 43. similitudinem, verba hæc recurrisse, tamen, quoniam Marcus similiter post recitata Psalmi verba Servatorem inducit in argumentationis complexione pronomen *αὐτὸς* iterantem v. 36., quod hic itident abundare videri poterat minus attendenti illationis nervum huic ipsi pronomini inesse apud Marcum, si nimirum, quod res ipsa suadet, ex præc. similiter *ἐν πνεύματι ἀγίῳ* subintelligatur, probabiliter inde colligi videtur Matthæum repetita formula *ἐν πνεύματι*, quæ cardinem causæ contingat, vibrantiorē iustum, quo adversarios stravit Servator, reprobans. Si cui etiam harum rationum pondus receptæ lectionis auctoritatibz convellendæ impar videatur, satis habebo, si ejus pace id faltem lucrer, ut codices & versiones diversarum

diversarum recensionum existentur non temere in formulæ hujus repetitionem consenfuros, nisi antiquitus increbuisse persuasio, potiorem disputationis nervum inde duci, quod David in Ps. CX. εν πνεύματι loquatur. At hanc vim in sola inspiratione sitam eos existimasse, difficile, mihi quidem, est creditu.

2. Probabilior & Servatoris consilio & argumentationi aptior est alterutra formulæ notio, qua εν πνεύματi aliquid dixisse scriptor Σεβαστός^{a)} dicitur, qui divini Spiritus agitacione vel in vera ecstasi, sensuum & phantasie commotiones naturales abrumptente, constitutus est, vel igne poëtico plus solito calescens in eminentiorem personam sese transformat, ejus tensus adsumit, ejus affectiones, sententias atque decreta tanquam sua effert.

Ac primum quidem ἐνεργείας propheticæ &, re ferente, visionis ecstaticæ notionem in idiomate Hebraeorum sacro formulæ huic junctam fuisse vix dubitabit qui *Apoc.* I. 10. cum XVII. 3. & XXI. 10. contulerit, de quo apocalypticō formulæ usu infra. Jam, tamen ex hac ipsa notione facilis sumi posset ad metonymicum usum transitus, quo εν πνεύμαδι λέγεται dicatur, qui aliam eamque eminentiorem sive elapsi sive venturi ævi personam, phantasie vi divinitus exaltata, induisse sibi videatur, ejusque adeo verbis loquitur, tamen cum primi ordinis Prophetæ & facrorum antistites πνευμάτων nomine in N. T. veniant *a)*, atque in horum censu Enochus, Melchisedecus, jure suo emineant, potior nobis hæc visa est ratio, ut in hoc quidem sermone, ubi magistrorum foleriam

a) Cf. *Num.* XVI. 22. *XXVII.* 16. *Thren.* IV. 20. *Hebr.* XII. 9.
1 *Cor.* XIV. 32, ubi καὶ πνεύματα προφητῶν de primiceriis Prophetis intelligere & particula καὶ & contextu adigi mihi videor. Patriarchalis ævi Prophetis hoc nomen peculiariter tributum fuisse alibi ostendam, cf. interim *Genes.* VI. 3, ubi, qui Enosum, vel Enochum, vel Noachum ipsum designari putet Spiritui S. nil detrahatur.

problemate exercet Servator, in generali notione *alicujus* ex remoto isto ævo antistitis, omisso articulo, os ejus hæreat, utut mens illam personam a Davide adscitam, definite tene-ret. In promtu autem fuisse perspicacioribus, vel hoc digitæ indicio monitis, vel traditione exegética huc jam intensis, Melchisedecum in edicti Jehovæ *Pf. CX.* I. præcone videre. Hunc autem obtutum obvium ista ætate esse potuisse, ita me puto persuasurum, si ostendam, ipsum illum in *Pf. CX.* ap-paratu inauguratum supremum Hierarcham Paulo πνεῦμα εἰσ-i-vιν, πνεῦμα ἀγιωτόν, κύριον πνεῦμα vocari eam maxime ob-causam, quod is primariis sacerdotibus, & antiquitate ante-cederet, & summo imperio præset, a Melchisedeco anti-quissimo, quem Scriptura celebrat, publico sacerdote præ-figuratus.

*Melchisedeciane formulæ supremum Hierarcham esse πνεῦμα
diuinum Hebr. IX. 14. πνεῦμα ἀγιωτόν Rom. I. 4.
¶ κύριον πνεῦμα 2 Cor. III. 17.*

Ordiamur ab ea demonstratione quæ personam, cuius Hierarchica majestas *Pf. CX.* celebratur *Hebr. IX. 14. πνεῦμa
τος αἰωνίου* axiomatice cohonestari faciat manifestum. Abstineo ab executiendis prolixe aliorum interpretationibus, sed expromam absque ambagibus quænam mihi rationes ex parallelismo & orationis serie ductæ persuaserint in hoc loco Hebreis a Scriptore sacro laudari Servatoris præcellentiam præ summis e gente Levitica sacerdotibus hanc, quod non perinde ac illi profanæ seu Laicæ notæ maculam piaculari taurorum & hircorum sanguine eluendi atque sic adytum ingrediendi jus ac potestatem adipiscendi necessitatem haberet impositam. Ratiocina-tionis omnis a v. 11. ad 15. detexta vis & acies stringitur illa maxime ex vero conspectu hierarchici nexus, tum quo sacerdotalis gentis ordines capitibus suis sociabantur, tum quæ Laicis cum illis intercedit. Per Sacre illius politice constitutio-

nem quisquis Levitica stirpe non prognatus Jehovam in templo presentem veneraturus erat & victimarum propitiatione juvari volebat Ephemeræ alicujus capiti debuit esse sociatus b), cuius τελείωσις in ipsum redundaret, & cuius interventu cultus suus Numini redderetur acceptus. Atque sic vi-
cissim gregarii sacerdotes suæ quisque classis antesignano & hi singuli Pontifici maximo uniti sanctitate seu puritate Levitica poterant mactari, quam vero, cum non haberet Summus Sa-
cerdos unde altius derivaret, sacrarium interius ingrediendi venia solemissimis piamentis ipsi fuit redimenda. Hac igitur hypothesi exposita, ut brevioribus nobis pro harum pagina-
rum angustia esse liceat, periocham intra dictos terminos com-
prehensam succincta paraphrasi explanabimus. ¶ 8. „Hoc
„semel tantum per annum Summo Pontifici concessio introitu-
„in sacrarium interius significavit Spiritus S. viam quoque
„qua ad illud adytum ducit, nondum esse publici juris factam,
„quoad in anteriore sanctuario adhuc sacerdotali ephemeræ
„adscripti sacerdotes gregarii stationem obirent c). „¶ 9. Hi
„vero simili forte & conditione erant ac in atriis imminentes
„plebeji f. Laici d), a quibus donaria & sacrificia offerebantur,

b) Vid. RELAND. *Antiqq. Sacr.* P. II. Cap. IV. §. 5. 6. p. m. 94.
CARPOZO. *Apparat. ad Goodwin.* pag. 109. seq. BUXTORF.
Lex Talmud. Rabbin. v. מָשָׁרֶב ubi memorabilis ex Maimonide
locus rem illustrat.

c) πρότις συνής ἐρέσης εἰσόν. Mirum profecto interpres plerosque
omnes, Hebraicarum etiam antiquitatem peritissimos, oblivisci hic
potuisse classium sacerdotium & gregiarum que in atrio minifteria
obabant, Hebrais ceu ex 1 Reg. X. 5. 2 Chron. IX. 4. 1 Chron.
XXIII. 28. patet, מָשָׁרֶב dictarum, quod vocabulum LXX. constan-
ter per εἰσόν redundat. COCCEJUS solus est cui sciam suboluisse h. l.
istuc respici Lexic. h. v. Nullus equidem dubito quin εἰσόν εἰχε
εἰσόν idem sit ac εἰσός ισται vel λειτεργεῖ ἐν σκηνῇ. Atque id texta
oratio omnino flagitat.

d) Quæ me rationes moveant, ut ex Chaldaici usus imitatione nomi-
ni καπός hanc significationem adnatam & pluribus N. T. locis usur-
patam esse credam, eas alio loco propedium uberioris edisseram.

„quæ tamen rem divinam fakturis veram illam lustrationem
„præstare nequibant, qua inaugurandi initiandique sunt qui
„in selectiorem & intimæ admissionis cœtum conscribi vo-
„lunt e). ¶ 10. Dona enim offerebantur cibis tantummodo,

Chaldaic certe, quod loca demonstrant a Schindlero ex Targum
citatæ, εἰτιον eit cœtum convocare; & nomen οἴνοι cum Hebraicō
permutatur. Arabes etiam Hebr. אַלְמָנָה מִשְׁעָר vertunt
קְפֵחַ אַרְבָּתָן. Cui igitur portenti simile videretur Græcum vo-
cabulum in hanc alienam sedem migrasse apud hebraizantes Scri-
ptores, ei similiter ad stupendum est ad universam illam Hebraismoi-
rum classem late patenter, qua graca vocabula famosorem Hebrai-
corum significatum sonantia transferunt ad eorundem significati-
bus figuratos & rariores. Conferri tantisper & expendi velim *Syrac.*
X. 4. XXXIX. 31. XLVII. 10. XLVIII. 10. 2 Macc. IV. 32. coll.
Actor. XXIV. 25. Rom. V. 6. coll. Levit. XVI. 21. ubi ιερῷ Αἴσθησιν
fine dubio est extra Leviticam stirpem natales habens, Laicus,
quem nos dicimus. *2 Tim. III. 1. Apocal. XII. 12. unde & syno-*
nymicum ιερῷ simili metonymia ad concionem promiscuam trans-
latum esse arguitur, cf. Judic. XIII. 23. XXI. 22.

(e) Συνείδησις respondet apud LXX. Hebraico ψυχὴ Eccl. X. 20. ubi
est in parallelismo cum ψυχὴ penetalibus. ψυχὴ ergo est corona
amicorum intimioris admissionis, secretiorum consiliorum conscientia.
Refusam fuisse in Græcum vocabulum hebraizantem hanc potesta-
tem palam est *Sap. VII. 11. Δειπνὸς γὰρ ἱδιῶν πονηρίᾳ μαρτυρεῖ καρα-
δοκεῖσθαινόν, αἱ δὲ πετεῖσθαι τὸ καλεῖσθαι συνείδησιν τῇ συνείδησει. Ti-
midum sua ipsius pravitas convincit privatum* (i. e. per solitudi-
nem) *condemnata, semper autem diras prefagitiones adficiat,* ubi conscientia ejusdem sceleris consortio continetur. Hunc sensum poscit manifeste disjunctio inter ιδιῶν & συνεγένεων συνείδησιν. Quapropter h. l. qualis Scriptor hebraice dedit est ψυχὴ ita est intel-
ligendus, ut neget donis ac sacrificiis a Laica turba per sacerdo-
tes oblatis eam vim esse potuisse, ut in Jehovæ penetrale unquam,
selectioris cœtus titulo, intromitteretur. Atque sic etiam v. 14.
καθαρεῖσθαι συνείδησιν ὑμῶν ad ratiocinii tenorem accommodatissime
intelligitur, quasi scriptum fuisse: καθαρεῖσθαι ὑμᾶς εἰς συνείδησιν, ita
vos puros præstabit, ut in cœtum selectiorem coenentes Deum sa-
cerdotali jure adire possitis. An idem significatus agnoscedens
quoque sit in his *2 Cor. IV. 2. συνιζώντες ἐστε τοῖς πάσι ταῖς συνείδησιν*
ἀνθεγένεων, in eo quippe contextu quo Apostolus occultis sodalitiis

„potioribus & variis lotionibus destinata, victimas civilium
 „decorum iuriumque recuperandorum ergo immolabantur,
 „donec sisteretur coetus vere repurgatus f). ¶ 11. Chri-
 „stus igitur in meliore ævo probæ indolis hominum g) Sa-
 „cerdos summus futurus cum venisset, gradum sibi ad hos de
 „grege promiscuo in adytum introducendos ita fecit, ut de
 „praestantiore & absoluto sanctuario anteriore, non mani-
 „bus hominum fabricato, prospiceret (id vero est, remota
 „figura, ut prospiceret de ministerio, quod non esset ex præ-
 „sentis sacerdotalis munera formula h.). ¶ 12. Nec ille

se abstinere dicit, in opposito membro probabiliter dicturus, omni-
 bus se privatis etiam hominum conventibus promiscue aperta veri
 divini professione cupere commendari, nunc latius disquirere nolo.
 f) Si rata habeantur quea ad Hebr. VIII. 8. sqq. III. MICHAELIS
 scripsit Jeremias vaticinio XXXI. 3. reformationem ejusmodi præ-
 cini contendens, qua fiat, ut Laicis etiam exquisitiore Numinis
 cognitione imbutis propius cum Eo consortium contingat, nec de
 abolendo sacrificiis transgressionum memoria tam anxie solliciti esse
 debeant; egregie his *euangelia congruet* *marcus* *diego* sumere pro
marcus *diego*, cetero reformato.

g) Si modo memoratus seruet obtutus *miles* *marcus* commodissi-
 me sumuntur pro epexegesi modo dicti *marcus* *diego*. Duritiem
 formulae Pontifex bonorum futurorum jam ita sensit III. MICHA-
 ELIS, ut in masculinam formam vocis *marcus* se propendere
 non dissimularet, ducta potissimum ex Jeremias vaticinio suspicio-
 nis ratione.

h) Elegans Dilogia f. Antanaclasis in his pellucebit cuivis in nexu
 mentis defigenti aciem: *τεκνὸν Χριστὸν* nominat, & per nominis
 in re Levitica metonymiam cogitari vult Sacerdotes manuum im-
 positione consecratos & in anteriore sanctuario ministrantes; addit
 igitur explicacionis ergo: *τεκέτων καὶ τεκέτης τῆς θλίψεως*. Jam tametsi
 exempla a viris doctis allata per se probent verbi *θλίψη* in re
 architectonica usum, tamen cum *θλίψη* in N. T. frequentius tera-
 tur in politiis civilibus & sacris, neque etiam multum atteinuisse
 (prouti jara est a MICHAELIS obseruatum) interpretamento ad-
 dito monere de sensu architectonico vocis *χειροτόνης*, malim equi-
 dem scriptori hoc consilii tribuere, ut sibi de constituta & tum
 adhuc durante Levitica politia sermonem esse subindicet. Est enim

„hircorum vitulorumque sed suum ipse sanguinem sanctuario
 „interiori inferens i) æterni fæcerdotis fodalitium ibi inve
 „nit k). ¶ 13. Si enim taurorum hircorumque sanguis &
 „lustrales aquæ, mixta cineri vaccæ rufæ, illis adspersæ,
 „quos lex pronunciabat impuros, consecrandi vim habuere
 „eo effectu, ut Laica turba l) culpis, civilem faltem exter
 „namque justitiam pessimantibus, emaculata servaretur, &
 „Jehovam in suo palatio adeundi jure potiretur. ¶ 14. Quanto
 „magis sanguis Christi, hominis, qui, æternum Melchifedecianæ

formula ἀπὸ νονᾶ ita necessario supplenda, & διὰ ταῦτ. τ. οὐσ.
 non durante hoc Hierarchy statu, vel, quod seriei forte aptius,
 non in suo pontificali comitatu habens hujusmodi Sacerdotes.

i) διὰ τῆς ἀρχῆς suum ipsius sanguinem ferens, i. e. suo san
 guine litatum esse testatus.

k) αἰωνίας λόγων εἰρημένες. Utut alias *invenire* pro *adipisci* ex com
 muni linguarum analogia dicatur, tamen seriei tenor mihi h. 1.
 videtur postulare, ut fæcer scriptor Servatorem innuit *inveniri*,
 quod Pontifex Aaronicus adiutum ingressus non invenit. Vacuitas
 illi & solitudo mera occurrebat, quæ de imperfecta lustratione gra
 viter monebat. Iesus autem cœlum ingressus invenit αἰωνίας λό
 γων, societatem vera & sempiternum valitura lustratione confe
 cratorum, cui adlegèndi sunt Christiani. Et quenam illa, quæres.
 Angeli & Abrahamica fide ad Patriarchalis religionis formulam for
 mati regni divini cives. Huic coetu sociandos esse nova economiae
 fideles mortem Christi plena lustrationis cauffam meritoriam &
 dignus habentes v. 15. innuit, ubi igitur αἰώνιος κληρονομia rufus
 est societas æternorum κληρονόμων Abrahamicarum promissionum.

l) σάρξ hic sunt gregarii fæcerdotes & plebeji. Ad hos enim redun
 dabant lustralis adspersio ex cinere vaccæ rufæ in summos Pon
 tifices factæ virtus. Est autem σάρξ in N. T. frequentissime gens
 a qua quis natales ducit. Paulus Rom. XI. 14. σάρξ με Judgeos,
 gentilitia cognatione mecum conjunctos. cf. Coloss. I. 24. Hinc
 etiam ad religionis Judaicæ confortum transfertur Coloss. II. 11.
 Philem. 16. Suppleri itaque hic potest σάρῶν, quod ad κεκονωπ
 ρυσ referatur, qui sunt Pontifices expiationis festo impuritatem per
 istorum rituum mentem professi.

„formulæ sacerdotem antesignanum habens *m*), humanam
 „fiam naturam omnis maculae expertem Deo fistere potuit,
 „hujus ipsi insite sanctitatis vim, secus ac Levitici sacerdo-
 „tes mutuatitudine puritatis umbram aliquam in subjectas sibi fo-
 „dalitates transfundentes, plenissime in vos faciet redundare,
 „eo effectu, ut intimioris fodalitii geratis effigiem, culpisque
 „mortem adferentibus ablatis, Deum sempiternæ vitae & feli-
 „citatris auctorem colere possitis.„

Qui hanc argumentationis seriem sic perceptam tenet, sponte forsan sentiet, hiatum, quem in illa relinquunt interpretationes a doctissimis viris varie, speciosissime autem ab Ill. MICHAELIS *n*), Ven. NOESSELTO *o*) & GEIESBACHIO *p*) tentatæ. Non probatum dedisset Scriptor, quod causa caput erat ἐπω περινεργῶδαι τὸν τῶν ἀπλού ἑδὲν ἦτι πρότης συνῆς ἐχέσθης γένον, certe non congruenter ad substrata semel Theologiei Judaicæ scita de Hierarchico nexus planum fecisset, quomodo jam, Servatore, Pontificis Summi munia administrante, ad apicem perducta sit illa in Levitici Sacerdotii capite antehac deficiens scala Hierarchica, cuius abruptione factum erat, ut supremo etiam Hierarchæ, cum non haberet superiorē, e quo potior dignitas & puritas in ipsum refundi posset, in anteriore sacrario per totum annum, una die excepta, morandum esset, quomodo igitur in vado jam sint omnia, posteaquam Jesu, eti & ipse humanæ infirmitatis non expers, & civitati Ifrasliticæ, multorum piaculorum Deo usque reæ, adscriptus, tamen, quod humanæ naturæ actibus templi cœlestis primati consociatum se gereret, omnis culpe exfor-

m) &c in subordinationibus signandis frequentari patet ex Rom. III.
 27. IV. 13. VIII. 37. XI. 36. 1 Cor. VIII. 6. 2 Cor. IV. 5.

n) In Annotatt. Lat. & Germ. ad h. l.

o) In peculiari commentatione opusculis ejus inserta. Cf. judicium ERNESTI Theol. Bibl. T. X. p. 93.

p) In Repertorio Literaturæ Bibl. & Orient. T. II. p. 19, sqq.

tem Deo se sistere potuit, atque idcirco certa & plena inaugu-
ratione (*τελεωσις, λύγωσις*) consecrare sibi addictos Dei cul-
tores. Nōseltiana igitur expositio in hanc sententiam exiens:
potiori longe jure sanguis absolutissimi & sempiterna piatrice
virtute pollutis sacrificii purificabit &c. meo sensu aliquam
petitionem principii ratiocinio infert; Michaēlisana, quæ sac-
rificiorum mentem ac rationem antiquitus jam proditam co-
gitare jubet, vèreor ne scriptorem sacram inducat instituti sui
immembrein; id enim ipsi erat agendum, ut, si functiones
Christi ex ipso pontificali disciplina æstimentur, accessio ad
Deum & proprioris cum eo conjunctionis prærogativa potiori-
bus titulis quæsita intelligeretur. Non igitur ad subtiliorem
rei cogitationem, veste emblematica & typica detracta, able-
gare potuit lectores, spiritus notioni Montesquianæ parum sine
dubio adsuertos. Griesbachiana autem interpretatio, quæ per
πν. εἰων. statum Servatoris exaltati intelligi vult, inititur illa,
si quid video, parallelismo verbali dubio cum *Hebr. VII. 16.*
in reali divergio manifesto. Etenim ibi de antiqua religionis
forma, simul cum sacerdotio Levitico exauditorato instauranda,
agitur, quod assertum inde firmatur, quod Melchisedecianæ
formulæ sacerdos non constituantur lege mortalitati per ra-
tum successionis ordinem medente, sed oraculo vitam atque
adeo disciplinam ejus perennem portendente.

Alter locus illustrior, quo iste vocis *πνῦμα* ad æternum
regium sacerdotem *Ps. CX.* réspectus probatur, est *Rom. I.*
3. 4. cuius versionem, prout mihi informanda videtur, exhibeo: „de Filiō ejus, qui profapiam e Davide ducens sacer-
„dotio Iudaïlico subjectus est, Laici personam externa specie
„referens *q*), sed inde a resurrectione a mortuis (altera quasi
„nativitate) publico documento testatum fecit se auguſtissimo
„titulo

q) Vid. quæ de voce *τάρης* modo sunt observata. Sic *γενόμενος κατὰ τάρην* coincidet fere cum *γενόμενος ἐπὸν ρόμον*. *Gal. IV. 4.*

„titulo filium Dei sacerdoti lectissimæ civitatis sacrae n^o) contri-
butum.“ Intelligent lectors, opinor, meo sensu Apostolum
disjungere regium fastigium nativitatis jure partum, ab eadem
dignitate Servatori tanquam religionis perennaturæ supremo
arbitrio & statori propria, sacerdotium mortale & evanidum
(τάρκα) à sacerdotio civitatis Deo consecrata & intimæ admis-
sionis quasi cives alentis πνεῦμα ἀγιωύμενος. Qui quidem si verus
judicetur loci hujus conspectus, facilis compositione sopietur
controversia, sitne filius Dei nomen officii an personale.
E enim vero est absque ullo dubio appellatio filiorum Dei ex
Hebraica consuetudine cum regibus communicata, & hoc
etiam sensu in Servatorem, ex nativitatis jure regem Israëlitico-
cum, convenit, quicquid obloquuntur majestatis divinae Ejus
timidiores adsertores. Sed cum idem nomen ēv Σωτῆρι (augu-
stiōne sensu) Ipsi tribuitur propter scenæ quæ Ps. CX. instrui-
tur magnificentiam, qua ad dextram Jehovæ sedens caelestis
terrestrisque civitatis sacrae Primas æternus declaratur, non
potest non hæc præcellentia ex ipsa personæ eminentia ultra
finitæ intelligentiæ fortem elata derivari.

Proximum est ut 2 Cor. III. 17. itidem per πνεῦμα au-
gustum personam designatam ostendamus quam Ps. CX. cœle-

¹⁾ σύμβολον de cœtu consecratorum intelligi posse prefræcte non
neget qui, quam familiariter Paulo sit περιττοῦν, ἀπόστολus πίστος &
similia pro concretis collective usurpare, compertum habet, &
in Epistola ad Hebreos notionem τῆς σύμβολης & conjugatorum fre-
quentissime ex disciplina pontificali informare didicit. Si ex con-
structione recte argumentatus est LAMB. BOS ad 1 Cor. I. 30.
ἀγιουσὶ ibi similiter est accipendum. Ceterum Patriarchalis ævi
fideles, in Melchesedecianam five Abrahamicam disciplinam con-
scriptos, peculiariter hoc nomine insignitos fuisse, cum aliis indi-
cis, jam non persequendis, reprehendit mihi vius sum, tum
vero ex Coloff. I. 12. coll. Hebr. IX. 15. admodum probabiliter
colligi arbitror. Confidentius autem ut in hanc partem pronunciem
Petri facit oratio, Christianos, dicens, εἴη βασιλεὺς ἱεράτευμα,
regio sacerdoti contributam sodalitatem, & per ἵππους κέντητον ad-
dens: Ἰηρος ἄγιον. 1 Ep. II. 9. coll. Exod. XIX. 6.

stis terrefrisque Hierarchiæ primatem laudat. Dabo rursus paraphrasin v. 16. 17. 18. ad subductas rationes exegeticas adornatam. „Quando autem illud tempus erit, quo ex cœpta a me allegoria dici poterit Mosen (qui etiamnum inter Ju-dæos quasi præfens est quoties lex prælegitur in Synagogis vid. v. 15.) reversum esse ad Dominum (quod ex proprietate tum evenisse intelligetur cum Judæi, literæ occidenti nuncio misso, internæ religionis vim suscepint, quo quidem tempore Moses, ex oraculi Esajani LIII. 10. 11. poëtico s̄chemate, Abrahamidas ad Melchisedeciani instituti tenorem videbit in cœtum sacratiōrem cum gentibus collectos) tum velamen ipsi auferetur. Enīvero, qui tunc temporis Domini augusto nomine insignitus eas partes aget, quas olim egit oraculorum ad Mo-sen editor in Schechina habitans, est ille templi sublimioris πρόδρομος, cœtus sacratiōris antistes Davidi cantatus. Ubi autem Theocratiā ad hunc Dominum est translata, ibi est cœ-tus emancipatus ^{s)}. Hinc nos omnes Christiani retecta facie Dominum, (i. e. in veri ab eo divinitus traditi lu-cem) tanquam Schechinam nobis præsentem intuemur, & ex hac intuitione (i. e. intensa religionis ab ipso elucidata medita-tione) in eandem imaginem quasi transformati, veluti Moses, faciem splendore novo auctam ex hujus Schechina contemplatione referimus, pro eo ac par est accidere a con-spectu Domini, qui spiritualis Hierarcha est, recentibus. „

Nunc si quæras quid horum locorum collatione effectum aut lucrificatum existimem paucis ita habeto. 1. Si πνεῦμα, cum adjunctionibus, quas hæc loca habent, Messiac Hierarchicam precellentiam Ps. CX. celebratam designat, potest etiam πνεῦμα, alias jam ad sacerdotes & Prophetas primarios translatum no-men, κατ' ἔξοχην Melchisedecum designare in cuius sacerdotio

^{s)} Λαθριπία pro Λαθρίσιω societate, correlatum πνευματος, forsitan, cum respectu ad נסיכות in nostro Psalmo, cœtus voluntariam militiam faciens.

Messiani præfiguratio erat. Poterat igitur Sērvator in problemate exploratorio arguēti, quod intorquebat, vim crypti involuturus, presso Salemici Pontificis regii nomine, *arborum paxia* sapienti consilio uti. Ex hac *possibilitate*, ubi plura patrocinantur aliunde duxa argumenta, emergit *probabilitas* major minorve, *certitudo* nunquam. 2. Si Iesus ipse hoc nutu significavit, Davidem in schemate poëtico Melchisedeci personam adscivisse, tenemus videlicet majestatis Messianæ principem rationem, atque non tantum *imperii sacri* antiquitatem indefinitam ante occupatum dextræ divinæ locum, sed *naturæ* etiam *excellenterioris* *προσωπεῖαν*, in quam primatus super cœlestium quorumvis Dei ministrorum cultorumque cadere possit. Tenemus imperium sacram oraculo Psalmi *dela-*
tum esse economicum, tenemus Hierarchæ in superiori mem-
tum civitate pridem imperantis provinciam peculiarem in
generis humani gubernatione morali. Intelligimus non esse
de conciliatione valde laborandum ubi nobis ex Petrina
illatione A.D. II. 36. oggeratur, suprematum excellenterioris
Christi naturæ divino æquatum ab Apostoli mente capropter
diffonare, quod is Iesum ex Davidico oraculo *constitutum*
esse ait (*ἰεροῖς*) in isto fastigio. Poteſt enim Apostolus eam
respexisse poëticam Psalmi *Ιατρὸν*, qua propria huic pri-
mati ab indefinito ævo maiestas certo fe tempore demifura
ſtituit ad provinciam regni divini in humanum genus admi-
nistrandam spiritualesque Abrahamidas in illud aggregandi.
3. Melius ſic lucere arbitror rationem qua scriptores N. T.
ex hoc Psalmo, etiamsi *κατὰ πότνιον* divina in Messianæ personam
αὐχήματα non conferente, radios eduxerint, quibus cordati
prisorum oraculorum existimatores in hanc sublimiorem *Ια-*
τρον ſuaviter evehi poſſent. Universe enim, quoties elemen-
tarem & ad angustiores captus accommodatam Servatoris in-
ſtitutionem cum uberioribus explicatiōribusque Apostolorum,
Pauli maxime, præceptionibus contendimus, didacticam hanc
prudentiam admirari non tantum, ſed in definiendo etiam

dictorum literali & historico sensu ob oculos nos habere decet, qua maluit Ille crassiores Judeorum notiones sensim defæcare, occæcasas mentes ad sublimiorem disciplinam preparare, semina melioris cognitionis spargere in florem frumentaque post effusa demum Spiritus S. dona eruptura, quam sui officii interiores rationes personæque decora summa subtiliter exponere, aut se Deum esse vel cum *divina natura* unitum ubivis palam, sine involucro profiteri.

Si jam sint qui omnem hanc rationem formulæ *in nre
mati* intelligenda a Marco uno halitu difflari dicant, possem hos equidem ad ea remittere qua in Proemio p. 5. & p. 15. jam monui. Sed sunt quædam insuper æquis judicibus arbitranda. 1. Duplicata articuli additio, quæ a manifesta interpolatoris manu in vulgatas editiones irrepsit, suspicioni locum facit haud vanæ prorsus, antiquissimi jam descriptoris aliquius sedulitatem in addendo epitheto *ætio* integratati sententiae consultum ivisse, vel ex antiquis marginibus illud esse inferatum. 2. Sed huic etiam suspicioni nobis non indulgentibus tamen integrum est quererere an ex Marco, non Apostolo, teste igitur secundi ordinis, quem in narrationum selectu ita rexit Spir. S. ne historicam veritatem corrumperet, necessaria parte mutilaret, atque ut doctrinæ Jesu summam ex ipsis commentariis percipiendi copia esset, an inquam ex illo nobis necessario & ubique supplendus & explicandus sit Matthæus? an creditu nefas abfonomve sit hunc Evangelistam, postquam vel ex Petri ore vel ex Matthei tabulis *in nre
mati* hausisset, *ætio* adjecisse, quod vel *vim divinam* vellet exprimere, quæ in prægnantissimo Psalmi poëtico schemate enitet, vel majestate plenam *vocem divinam* quæ citato loco resonat, cf. *Ez LXIII. 10.* coll. *Ezaj. XI. 4.* Sin simpliciter inspirationem intellexit, modum ejus ex Mattheo informare fas est. 3. Si Matthæus vel ipse *ætio* habuisset in archetypo adjectum, vel primis ejus descriptoribus decurtata visa suisset formula, *ætio* subaudiri flagitans, mirum vero, cum toties alibi e Marco reperiatur in vetustis etiam

codd. interpolatus, religiose adeo medicantes manus hic se cohibusse ut ne unam quidem variantem exhibeant Millianæ, Westenianæ & Griesbachianæ farragines.

II. Probatur ex usu pronominis autōc Davidem ex mente Christi, quam Petrus Act. II. 34. explanat, ex adjuncta persona loqui.

Alterum argumentum, quo confirmari mihi videtur Je-
sum ipsum in hoc colloquio dramaticam odæ Davidicæ for-
mam, tanquam concessam a doctoribus jam tum gentis magi-
stris, præstruxisse, ducimus ex pronomine autōc, quod in argu-
mentationis a Jesu in adversarios vibratæ subsumptione miro
consensu usurpatur non tantum a Marco & Luca in ejusdem
colloquii narratione, sed & a Petro, simili ex eadem oda
ratiocinio ducto demonstrante, Jesum non regem saltem, sed
κύριον καὶ χριστὸν esse per exaltationem suam declaratum. Quid
quod nota ter Marcus illud autōc in complexione quoque ar-
gumentationis repetit. Unde ita infero: Cum Matthæus solus
illo pronomine abstineat, ejus loco autem habeat ἐν πνεύματι,
Marcus solus utrumque in assumptione jungat, Petrus autem,
quem commentariorum Marci fontem esse veteres tradidere,
λέγει δὲ autōc subiungat asserto Davidem non in celum ascen-
disse, liquet vel solo autōc, quod apud Lucam in Evangelio
& in Actis est, satis innui, Davidem citata oda verba non ex
sua persona pronunciasse, quoniam coelestis scenæ spectaculis,
quaer perferit, in celum vere raptus interfuisse nequit.

Omnis itaque cardo in eo vertitur ut pronomini huic
memoratam potestatem asseramus, atque sic conclusionis tum
a Servatore adversariis per transennam monstratae, tum a Pe-
tro palam intortæ nervum ostendamus.

Non est autem pronominis autōc usus orationis quam
tractamus seriei & consilio aptior, & vero Petrinæ disjunctioni

convenientior, illo quo hebraizantibus Græcis æquipollent formulæ *in σώματι*, quam ad imitationem Hebraici *בָּגְדָּאֵד*, quod apud Rabbinos sèpiuscule occurrit, vel de re usurpant quæ tota, suis partibus expleta spectatur, quale ubi aliquid reprehenditur, quoniam tum verissima, ipissima res adesse intelligitur, de eo adhibuerunt insuper quod *ex* vera ratione tale est quale *ex* nominis vi esse debet. Hinc ad personas translata formula *in σώματι* ei designando inserviit qui vivus, spectabilem quasi personalitatem etiamnum gerens aliquid agit; disjuncte alias ab eo qui corpore organico non amplius est convertis, alias vero ab eo qui organorum & sensitivarum virium usum non habet *ex* naturæ integritate expeditem. Unde, cum sèpius formulæ istius vis cum pronomine *αὐτὸς* coincideret, factum est ut hebraizantes *in σώματι* ponerent pro *αὐτὶς*, & vicissim *αὐτὲς* pro *in σώματι*. Subsoluit hic Hebraismus SCHÆTTGENIO in *Hor. Hebr. & Talmud.* ad *Rom.* VI. 6. VII. 24. & *Coloss.* I. 22. sed nec dilucide fatis intérieores hujus consuetudinis rationes expedivit, nec reciprocationem utriusque formulæ assecutus est, nec ob id ipsum ea loca ubi per appositionem epexegeticam utraque jungitur huc contulit. Quippe *Rom.* VI. 6. τὸ σῶμα τῆς ἀμαρτίας cui prædicatum κατήρχεται quadret, non tam est *ipsum* peccatum quam ea *reipubl. Israëlitica* ad Numen habitudo, qua factum est ut ritus Mosaici ex magna parte ad *civilem reatum* hominum manifestandum essent comparati; quod versus sequens in aprico ponit, cuius in hac serie mens alia esse nequit nisi hæc: qui enim supplicio adfectus est extremo omni reatu civili est exsolutus & nexus consequenter politico cum gente, cui hac poena offendam siue veram siue opinatam luit, exemptus, cf. *I Petr.* IV. 1. Dilutione sensu Apostolus *Rom.* VII. 24. exclamasset: *quis me ab ipsa hac morte eripiet*, prægnante pariter ac concinno: *ab hac verissimi nominis morte*, *Coloss.* I. 22. οὐτοκαταλλαξεν ὑμᾶς *in τῷ σώματι* τῆς σαρκὸς αὐτῶν simpliciter est: univit vos gentiles civitati sacræ cui ipse natales debet. Magis

exserte ad notionem pronominis αὐτὸς reducitur hæc formula, ubi eidem juncta reperitur five per glossemata textui intrusa, five per Hellenistarum morem hebraizantes ἐπεξηγήσους græcis addendi. Sic *Hebr.* XIII. 2. μιμνήσκετε . . . τῶν κακοχειμένων οἱ ναι αὐτοὶ δῆλοι εἰ σώματι, citra dubitationem εἰ σώματι ex redundanti est & simpliciter exponendum: tanquam εἰ ipsi indiguis modis cum maxime habiti (οὕτε scil. κακοχειμένοι: sic enim postulat congruens cum precedente membro: μιμνήσκετε τῶν δοσμῶν οἱ συρδεδεμένοι.) Sic *I Petr.* II. 24. τὰς αμφετὰς μὲν αὐτοὺς εὐθύνετε εἰ τῷ σώματι αὐτῷ, equidem persuasum habeo ad fortius urgendam vim τῆς Νῦν in authentico Esajæ postrema verba addita esse, nec in hac junctura aliud sonare quam ipse vivus, in sua ipse persona. Ad eundem plane modum Paulus *Rom.* IX. 3. πάντοις inquit αὐτοῖς εἴω ἀνέδεμα εἶναι, vivus devoveri optarem. Consimili ratione hæc notio τῷ αὐτῷ ex εἰ σώματι agnata ad animi duplēcē vim conferetur *Rom.* VII. 25. ἀγανά εἰ αὐτοῖς εἴω τῷ μὲν ροὶ . . . τῷ δὲ σαρκὶ . . . Itaque ipsissimus ego (quamvis in unum totum facultatus pluribus confactus videar) tamen (distractis viribus) mente legi divinæ, carne legi peccati mancipatus sum. Hæc itaque si in sermone Christi æque ac Petri adsciscatur pronominis notio, commoda sententia emerget hæc: David vivus & corpore convestitus, sensuumque usum integrum habens & illibatum, propriam personam gerens, atque adeo, coelestium solemnum ministrum ubi se carmine infert, alienam assumens.

Quid si itaque Servator & Petrus chaldaizante idiomate loquentes formula בָּנָיו usi sunt, nonne audientium animos, in ista potissimum Petri disjunctione, subire debuit cogitatio vel vivi, superstitis, vel ejus qui est in statu mentis integro & tali quali esse solet? Non certe ex sequiori Rabbinismo hanc dicendi formam esse, Exod. XXI. 3. pro solus, non uxoratus, adhibitum fatis superque arguit, cum & hic sensus inde sit, quod qui solus est cum sua persona non alia

quapiam esse cogitetur: ista enim prefixi **ν** in has formula
vis est. Unde & Græci **αὐτὸς** pro solus usurpant. Cf. SCHUL-
TENS ad *Prov.* IX. 3.

Sed ne puriori Græcitati inauditam pronominis significa-
tionem, apud hebraizantes ipsos rariorem & per nubila tan-
tum scintillantem ex hypotheseos necessitate obtorto collo
huc traxisse videamus, paucis, age ostendamus qua ratione
& apud ignarissimos Hebraicæ confuetudinis Græcos scripto-
res similis succreverit τῷ αὐτῷ usus.

Notissimum est illud Homericum *Iliad.* I. 4.

πολὺς δ' ισθίμες φυχὴς εἴδη περιάλφειν

ἥρωεν, αὐτές δ' ἀλώρητα τεῦχε κυνέστιν.

ubi **αὐτός**, cum in hac disjunctione cum **ψυχαῖς** de corpori-
bus exanimatis dici perspicuum esset, pronomen illas anima-
rum exuvias *significare* imperitiores dixere; at, si rem
recte putes, illud nativa sua potestate non exuitur, sed, ut
bene innuit EUSTATHIUS, cum **αὐτὸς** ceteroqui dicatur per-
sona vel res, quam, digito quasi indice, sui individui con-
stitutivas notas præferre, volumus affirmare; qui post com-
memoratas **ψυχαῖς** exanimata corpora **αὐτός** vocat, is in ea
designatione crassius & popularer *identitatis* seu *personalitatis*
judicium sequitur. Præterea, qui Poëticam istius disjunctionis
vim penitus persentiscit, intelliget opinor, quod in isto
canum aviumque e cadaveribus heroum pastu ad animos per-
cellendos per Poëtæ consilium comparatum est, non estc univer-
se corporum exanimatorum discriptionem, sed signatus
corpora venerandam heroum speciem adhuc præferentia, &,
quæ digito monstrans *ipſi*, *ipſissimi* sunt, ingeminasset, mi-
feranda forte in belluinium pabulum addicta. Itaque & in aliis
juncturis si **αὐτὸς** illum sonet qui integras gerit & genuinas sue
personæ notas, vel de re usurpetur nominis sui vim explete
omnem, a primigenia non desciverit illud potestate. Est igit
tum eatenus recte ille usus, quem in compostis plurimis ex-
ferit, a Cl. ALBERTI ad Hesychianam Glossam **αὐτόνομον** ita
expeditus.

expositus, ut in hac & similibus formis genuini notionem regnare ajat. Sponte nimurum ex unius ejusdemque confusa cogitatione, quæ mentem in percepta notarum characteristicarum integritate occupat, ista designatio subnata credatur. Est quoque ubi signatissime ad mentem loquentium in compositis reddatur, talis qualis est, vid. Brunchianus Index in ARISTOPH. Hinc extra compositionem ejusdem interpretationis patiens reperitur & reddendum alias in ipso statu quo erat, veluti Hebr. XI. 11. πίστιν καὶ αὐτὸν Σάρρα οὐκεῖνον . . . ἀλλα. vel in illa decrepita, qua erat, atate, vel in effato illo statu, même telle qu'elle étoit alors: qualem vim Hebraicum quoque pronomen exsiceret videtur Ps. IX. 7. אָבָר בְּרָם וְהַמִּתְּאֵד funditus interiere (Curbes) ut quales in suo statu fuerint nemo recordetur. Alias, veluti apud ARISTOPHANEM Plut. v. 83. de eo intelligendum, qui vero corpore praesentem fessilit, non vanum οὐδὲν vel umbram oculis exhibit, cf. Luc. XXIV. 39. Quocirca nec ab eodem idearum flexu diffilire magnopere erit censendum, qui in disjunctione cum mortuo, vivum pronomine αὐτῷ designet, vel in disjunctione cum rapto per ecstasim, eum qui sensuum suorum & virium usum illibatum habet. Spirat enim utrobique princeps notio crassior, pinguior, popularior, & in priore quidem acceptione identitatis, in posteriore genuinæ, intemeratae personalitatis. Ipsam igitur Græcis auribus & Hebraismi insuetis perviam pronominis acceptiōnem teneo, ubi posteriorem vim in Petrina disjunctione pronomini assero. Ac rursus, si 1 Cor. XV. 29. Ven. GRIESBACHIUS in inciso: τι καὶ βαστάζεινται αὐτῶν hanc postremam vocem in locum νεκρῶν recte, uti equidem arbitror, reposuit, qui propter additum καὶ disjunctionem a precedente διπλῇ τῷ νεκρῷ agnosceret interpres, si ceteræ ipsi faverent rationes hermeneutice, philologico non destitutus esset præsidio reddens: quid secuti etiam propter νεκρῶν initiatoriis aquis tinguntur?

Ut autem significatio possibilis, quam sit texto quoque

E

sermoni aptus, intelligatur, concionis Petrinæ series cura-
 tius paulo est rimanda. Probaverat Apostolus in antecedenti-
 bus *Pf. XVI.* Servatoris resurrectionem esse prænunciatam:
~~Δαλιδ' ἀλέγει εἰς αὐτὸν.~~ Cui ille asserto ita facit fidem, ut ex in-
 sitis notis demonstret, Psalmum imitativam ex persona aliena
 enunciationem habere. Commate 33 ad princeps propositum
 accedit proprius, atque simili argumentatione efficere studet,
 donorum spiritualium effusionem munerisque docendæ reli-
 gionis defecatoris supremum arbitrium penes Messiam fore,
 luculento itidem vaticinio proditum esse. Psalmum igitur CX.
 de Messia exaltatione & inauguratione ad supremum regium
 & pontificale fastigium loqui ut extra dubium collocet, nutu
 faltem, utpote in re concessa aut ulro facile concedenda
 versans, significat, Davidem non in cœlum esse raptum, ~~λέ-~~
~~γεινόμενον~~. Hujus autem admonitionis non hanc vim esse ut,
 Davidem non posse illam ad dextram Jehovæ exaltatam per-
 sonam esse, inde pervincatur, quod *ipse* in eo quoque habitu,
 quem poëmaticis species *ipſi* inducit, propalatorem edicti agat,
 per se intelligitur. Eccui enim Petri adversario in mentem ve-
 nire poterat, Davidem suam in cœlestis regnum inaugurationem
 ita cantasse: Edictum Jehovæ *ad Dominum*, quod ex hoc sup-
 posito esset, *ad me*, & deinceps soliloquio ad se sui imperii
 decora celebrasse? Neque etiam implicita Petri ex disjunctis
 ratiocinatis eo pertinere potest, ut ex altera parte negetur,
 alium quempiam Poëtam ~~θεότερον~~ ætate sive supparem sive
 posteriore per poëticam ~~θεάτρων~~ Davidem dominum suum
 inducere iussu Jehovæ dextram throni Ejus occupantem, ita
 quidem, ut in magnifico hoc schemate Davides celebretur
 per successores suos late porro dominans triumphosque illu-
 stres agens, affirmetur ex altera parte Davidem ipsum ista
 canere. Etenim ut taceam, ratiocinium hoc acumine & nervo
 in eos intortum, quibus extra controversiam positum erat
Pf. CX. esse Messianum, & Davidem habere auctorem, videri
 potuisse aërem ferire, in eos autem vibratum, qui Messiae

majestatem ibi cani negarent, (quos paucos saltem fuisse
prætermisum a magistris *Math.* XXII. hoc effugium arguit) nuda antecedentis controversi adsertione consequentis vim
dissentientibus videri potuisse admodum suspectam; duo hic
etiam atque etiam consideranda candidis ratiocinii Petrini in-
dagatoribus arbitror. Primum, si hoc fuisset disputationis *xgr-*
vōμενος, id maxime agendum erat Apostolo, ut appareret alie-
nissimam futuram fuisse istiusmodi fictionem, *vel* Davide su-
perstite, quem omnes scirent nec revera in cœlum fuisse sub-
latum, nec visionem quandam ecstasticam habuisse, quæ
splendidæ huic fictioni fundum præberet. Haec autem in
partem si intensa fuit Petri mens, *λέγει δὲ αὐτὸς* quantumvis
vulgato pronominiis sensui inhæreas, *ipse dicit, non aliis,*
tamen erit cum hac connotatione intelligendum, ipse, quem
non decebat se vel in cœlis inauguratum vel magnificenter
cœlesti spectaculo præsentem per poëmatis *διατύπωσιν* indu-
cere, ipse igitur *talis qualis erat* & in sedatiore mentis statu
ista cecinit. *Vel*, quid esset in facta, Davide mortuo, a cite-
rioris ævi Poëta, istiusmodi scena audacius & indecorum,
Apostolo erat innendum. Tum vero illa: *Οὐ γάρ Δασδί άναγ-*
γόνει εἰς τὰς ἐργατὰς in hanc exitura erant mentem: ab omni veri-
similitudine poëticæ lege adeo abhorret Davidem, qui nun-
quam Pontificali, nec in sua nec in successorum persona, e
divinorum decretorum promissorumque tenore, augendus es-
set dignitate, in carminis typo sistere suprema Hierarchica
capessentem gubernacula, ut minime credibile sit Poëtam di-
vinitus actum odam auspicalem in hac specie concepisse. Sic
vero subjunction: *αὐτὸς δὲ λέγει*, retenta rursus vulgari signifi-
catione, in hanc nos sententiam revolveret: *ipse contra,*
ergo talis qualis erat vivus, regiam personam gerens ista ce-
cinit, atque adeo sumta persona, quam cœmitiorum istorum
cœlestium præconem agere apprime deceret. Alterum quod
attendi velim hoc est: ex problematis a Jefu Phariseis propositi
eventu tria rite colliguntur momenta, absque quibus esset,

nullo modo intelligi daretur nec *ιναντορείς*, quam collocutores extricare debabant, implicatio, nec horum in eadem extricanda *σύνοδα* t). Primum, in Judæorum scholis Palestiniensibus ista ætate dubio fere caruisse, *Pf. CX* Davide auctore esse editum; hoc enim si in magistrorum disceptationibus fuisset versatum, mirum profecto esset, hanc pugnae opinatae, inter venerabundum Davidis alloquium & genealogicam ejusdem ad Messiam *σχέσιν*, conciliationem nemini venisse in mentem: quippe in promptu erat respondere, ceu perspecte jam observavit Ill. MICHAELIS in *Colleg. Crit.* p. 481. non esse adeo insolens, ut e linea genealogica ascidente honos & reverentia ad descendenterem se demittat, &, Messia regium fastigium altius positum esse Davidico, per se satis intelligi. Alterum, pervagatum fuisse eadem ætate & potiore magistrorum auctoritate munitum *Psalmi CX*, de Messia intellectum; quod si fecerit fuisset, spatiōsiore etiam elabendi rima quare non elapsi sint Jesu collocutores, judicatu difficillimum foret. Ecqua enim relinquebatur *ἀνυπολόγια* species, si per traditionis exēgetice προάνθεις licebat istum ita v. g. declinare, uti sequiores Rabbini fecerunt: Poëta recentior Serubabelis vel Josuæ primatum ista *διατυπώσει* magnificavit? Jam has observationes clypeum mihi esse volo illis obvertendum, qui ex me forte querant, cur in intelligendo pronomine *αὐτὸς* malum *κανετομένην*, quam vulgati moris servans eandem e Petrina concione, sententiam obtinere. Scilicet, si in ratiōtentientis Apostolus hoc habuit: *Davides est odæ auctor, &*

t) Non illa forte sic intelligenda, nt ne verbulo quidem quisquam mutire ausus ullove solutionis conatu coortus sit, sed quotquot afferebantur conciliatio[n]is rationes illas Servator, oppositis aliis, vanitatis convicti. Potest enim illud v. 46. *Ἐδεῖ οὐδὲν αὐτῷ ἀπορεῖσθαι λόγον* exponi: nemo propositam difficultatem idonea ratione endare valuit. Neque idcirco, quod addit Evangelista, quicquam istius confessus (*καὶ εἶπεν*) doctor *αὐτοῦ*, quod alias moris erat, Iesum vicissim quæstione adorari sustinuit.

Messias est odie heros, vix erat ut is negatum Davidi raptum
 in cœlos alio consilio urgeret, nisi ut caveret, ne in ecclasi
 presentissima celestis scœnæ intuitione gavisus credatur Da-
 vides, & ex persona quam in cœlesti templo vel cœlestibus
 comitiis suam gesuisset locutus, sed *avtòs*, in ordinario suo,
 statu, in personam cœlestem igitur per dramatis Lyrici typum
 transformatus. His jam momentis accedat tertium, quod ex
 Logica strictrarum Petrinarum in hac concione analogia du-
 co, in quam qui non perfunctorie intuentur, perinde forsan
 ac ego adfecti judicent, Apostolum confulto Messiae exaltati
 decora e Psalmorum effatis arcessivisse hujusmodi, in quibus
 que sunt splendore & communem fortem excedentia, in Psal-
 tis personam convenire primo adspectu videntur, re autem
 vera non convenient. Est propterea nescio quid omni meo
 aliorum nitente conatu potentius, quod me retrahit, ne
 credam Apostolum jam post argumentum ex *Psalmi XVI.*
 imitativa enunciatione ductum provocare ad Psalmum, ubi
 Davides *avtòs* (famosiore vocis intellectu) loquatur, sed,
 cum eatenus tamen a *Ps. XVI.* effato, adscitam Messiae pre-
 cantis vocem habente, diversus sit CX^{mi} locus, quod hic
 Messias ipse loquendi non habet vicem, convenientia omnino
 videtur tenenda haec, quod istud comma imitativam formam
 hactenus tueatur, quatenus loquens persona non est Davides,
 sed talis qualis deceat a Davide, non more Prophetarum
 primi ordinis in colum rapto, sed sui' compote, in his terris
 agente, in diviniore poëtico afflato affumi. Jam pondus ali-
 quod his momentis & ea addat observatio, quam Cap. I. præ-
 struximus, in sermonibus, quos nobis referunt commentarii
 sacri, ex diductiore explanatione potiora sepe tantum felici
 contrahique capita. Ecquis enim hujus moris memor conce-
 dere gravetur, Petrum, qui Servatorem audisset suprematus
 spii jura huic Psalmo superfruentem, addidisse aliquid quod
 formulæ *ir trebūzē responderet*, atque ratiocinium elucidaret.

III. Illatio Petri cum ea, quam Christi problema occultat, confertur ☺ de nominis κύρος propriis huic Psalmi loco vi,
ex mente utrinque, disquiritur.

Succenturietur his tandem Petri illatio: ὅτι καὶ κύρον καὶ
Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεός ἐπωνόει τέτον τὸν Ἰησοῦν. Deus Dominum ☺
Messiam unum eundemque fecit hunc Iesum i. e. voluit, effecit ut & sacerdotale Ejus fastigium, Domini elogium proprium habens, & regium, quod Messiani nominis vim præcipuum continet, per ascensum in cœlos effusionemque Spir. S. emineret. Jam, quid hac illatio ad illustrandam argumentationem Christi conferat, facile perspicietur. Enimvero haud fortuito accidisse cordatione quisque fatebitur, ut tres Evangelistæ, ubi Servatorem inducunt ἵναντοφανεῖς, adversariorum soleritatem exercitare, nodum proprius commonstrantem, exactissime conspirent in cryptici enthymematis antecedente sponendo: Δικῆδι λέγει αὐτὸν κύριος. Cur igitur ne uni quidem excidit pronomen reciprocum αὐτῆς præcedenti τῷ κυρίῳ us responsurum, si tamen Jesum intellexerunt ἵναντοφανεῖς speciem ita informantem, ut, qua ratione Davidis Dominus ejusdem filius sit, impeditiores explicatus habere innuat? Cur, Petro interprete, compellamentum Messiae in Psalmo eo valet, ut a Deo Ille constitutus censeatur Dominus, si tamen ex mente Christi, ceu vulgaris fert ratio, præcellentia in Psalmo celebratæ præcipua vis in eo cernatur, quod vel ipse (auch sogar) Davides suum Dominum Eum compellet? Hæ igitur dubitandi rationes tanti fuere Ill. MICHAELIS, DANOVIO, aliis, ut ad ratiocinium complanandum ad lectionem נָרְאָן configurerent, suo illi non critico hic, in questione ad puncta pertinente, sed exegetico jure usi, nec Evangelistarum Graeca citatione-præpediti, in tralatitiae quippe habentes, Servatorem vernacula Palestinae idiomate disseruisse, quæ igitur Ille ex prisci federis tabulis Hebraice protulit testimonia, ea vel ab ipsis Evangelistis Alexandrini interpretis verbis fuisse redditæ, vel, quod probabilius, a librariis passim ad illam normam

inflexa. Eodem vero jure & mihi licebit meam promere Ma-
foreticæ punctuationis defensionem , quæ si valeat, erit non
minus argumentationis crypticæ , quam tractamus , vis in nuda
denominatione κύριος sita , sive μ. retineatur sive negligatur.

Attentius considerato colloquii Abrahami cum Chittaeis
Genes. XXIII. relati tenore, intelligitur v. 6. יְהוָה in jun-
ctura cum שָׁבֵעַ, suffixo ad Chittæorum delegatos loquentes
relato, vix commodius ad Grammaticas rationes expediri,
quam si אֶרְאֹן pro patronymicæ sive gentilitiæ formæ nomine
accipias. A qua ratione minus abhorreat qui perpendit *Num.*
XXXII. 25. 27. ex structura formam prodi eandem, vel fal-
tem usum nominis per aucti talem, qui adfixi ad unam per-
sonam loquentem relationem neglexit, eandemque fere per-
misit anomaliam quam v. g. præfert hominum Francogallorum
locutio hujuscemodi : *nous avons fait comme Monseigneur
nous a ordonné.* Cf. *Psi.* CXXXVI. 3. *Genes.* XXXIX. 20.
XXIV. 51. 1 *Reg.* XXII. 17 *Ezaj.* XIX. 4. ubi forma con-
structa & adfixa ancipitem præfert ex *Adoni* & *Adonai* flexio-
nem. Præterea Hebræis patronymicam formam in dignitatum
maxime nominibus frequentari, vid. si-
MONIS *Arcanum formarum* p. 590. His nunc observatis veli-
ficantibus afferere equidem minus timeo, vocem יְהוָה, prin-
cipiatum in genere notandi jure per se jam præditam, in reli-
gionis vel sapientia universæ magisterio eminentiore, atque
adeo in pontificali etiam primatu peculiariter & solenni usu
fuisse tritum. Atque hujus asserti has maxime rationes habeo.
1. Synonymiam fat liquidam cum בָּנָה *Genes.* XLV. 8. coll.
Hebr. XII. 9. 1 *Cor.* IV. 15. 1 *Sam.* X. 12. *Ezaj.* IX. 5.
2. Signatiorem vocis κύριος usum *Hebr.* VII. 14. ubi ratiocinii
series exigit ut sacerdotalis principatus cogitetur, οὗτος αὐ-
τέλανε ὁ κύριος ἡμῶν, e tribu Juda natales habet is quem nos
sacerdotem sup̄emum veneramur, e qua stirpe reges tantum
progerminare posse Judaicæ opinionis tenuitas fert. 3. Ma-

* * *

מִלְאָךְ III. 1. dominus ad templum suum venturus ^{תֵּה} מִלְאָךְ הַבְּרִית
fæderis (nisi malis: religionis noviter informandæ & fanciendæ) legato in membris synonymous parallelisimum habentibus respondet. 4. Usus abstracti ^{וְעַדְתָּנוּ} in designandis magisteriis facris *Ephes.* I. 21. *Coloss.* I. 16. 5. Licebit etiam post graviora argumenta testari subiectum a Chittæis *Genes.* XXIII. 6. compellamento *Adoni* explicativam vim præferens elogium ^{נְשָׁא אֲדוֹןִים}, non illud de *magnō* & *eximio principe*, ceu post CLERICUM plures instituerunt interpres, sed de *oraculorum divinorum depositario vel doctrina divinæ arcanioris præmio* intelligendum ^{u)}. Hac enim fama inter liberalioris ingenii Canaanæos floruisse Abrahamum per se creditu proclive est, eundemque adeo sensum adnuere mihi videtur TARGUM reddens: בֶּבֶר קָרְבָּן ^ז doctor alioquin *divinis honestatis*. 6. Eadem notio subjicitur cogitationi ad priscam feidearum copulationem acclinanti per connexum proxime fissionis ad dextram divinam honorem. Pertinere enim hanc figuratam præcellentiae descriptionem ad sacrum imperium *economicum* proxime Deo subordinatum recte post GRABIUM ^{x)}, SCHOTTGENIUM ^{y)}, GRIESBACHIUM ^{z)} colligere mihi videor ex *Hebr.* I. 3. Quæ enim ibi cernitur argumenta Epistole ^{וְעַדְתָּנוּ} in postremis duobus commatis incisis lineamenta ducit demonstrationis Cap. VII. sqq. Messiani sacerdotii præ Aaronico eminentiam vindicantis. 7. Suffragatur tandem huic solenni vocis ^{וְעַדְתָּנוּ} significatiui *Apoc.* I. 10.

fi

- u) Nil notius quam נְשָׁא de oraculo publice a Prophetis prolato usurpari. Sublate vocis notio quomodo ad institutionem sit ampliata docet SCHINDLER. Unde נְשָׁא exquisitiore doctrina auctorius. Unde *Hebr.* I. 3. *וְעַדְתָּנוּ* *תְּהִלָּה* *מִתְּהִלָּה* *תְּהִלָּה* *בְּרִית* *וְעַדְתָּנוּ*. Subtiliori religionem divinam auctoritate proferens.
- x) Notis ad Spicileg. Patrum T. I. p. 365.
- y) Hor. *Hebr.* p. 905.
- z) Progr. *a mundo a Deo Patre condito per Filium.* Jen. 1781. p. 10. sq.

si non absone mihi verborum : ἐγενέμην ἐν πνεύματι ἐν τῇ πνευματικῇ, ad poëticarum specierum legem expenforum, hæc sententia se obtulisset : per ecclasiæ, in supremi sacerdotis celestibus comitiis, sacerdotis ministrantis lateri adstitti. Angeli enim sunt πνεύματα λεπτεγμάτα Hebr. I. 14. & illustriores Apocalypticæ scenae sacerdotum choros functionumque sacerdotalium spectacula offerunt.

Hic igitur vocis κύριος usus solennis si non prorsus fculnis argumentis est adsertus, nunc demum ad eandem metam aurigantes video Servatorem & Petrum ; teneo genuinam rationem sententiae ab Apostolo hac forma structe : ὅτι καὶ κύριον καὶ Χριστὸν εὐτὸν ὁ Θεὸς ἐπίσταντο. Non profecto Synonymum synonymo otiose annedit, qui τὸ καὶ sic ingeminat a), sed duarum dignitatum vel χρέων ejusdem personæ nomina disjungit. In eadem autem persona utramque effulgere pronomen αὐτὸν monet, quod etiam absque articulo de uno eodemque usurpatur, idque apud Sophoclem & Euripidem frequens esse jam annotavit STEPHANI Thes. Ecquis igitur difficulter sentiat vel gravatim adstipuletur, Apostolum præjudicatam Judæorum opinionem de precipuo Messia ex regio officio honore arietasse, in quam quippe sciret vibrantiores Servatoris iactus similiter fuisse in problemate Matth. XXII. proposito directos. Parili modo & consilio binas Messiae inaugurationes Ps II. & CX. juxta ponit Ep. ad Hebr. V. 5. 6.

His jam in summam collectis limpidius omnia mihi fluere visa sunt, si Jesum σωτῆρα notionum, quas de Messianæ majestatis fonte informatas habebant Pharisaici magistri, cum ea quam scire poterant, si mens non laeva fuisset, in celebri ode Davidica informatam, hoc fere ratiocinio arguentem intelligamus: „Messias, ex vestra divinas dispensationes me-“ tiendi humiliore modo, est filius Davidis, omnemque adeo „praecellentiam a regio fastigio habet suspensam. Atqui per

a) Duplex καὶ textui recte restituit GRIESBACH.

„genuinam vim mentemque *Psalmi CX.* antiquissimus jam
 „Sionitieus rex idemque sincerioris cœtus facerdos Messiam
 „Dominum salutat eumque ad dextram Jehovæ sedentem vo-
 „tiva acclamatione veneratur. Hanc scenam Davides instruit
 „& antiquissimi πνεύματος religionis purioris statoris sensus
 „imitativa enunciatione effert vivus, corporis animique vi-
 „rium compos, non raptu insolito interceptum habens sen-
 „sum exterorum usum nec in supernarum regionum ali-
 „quod θέαμα sublatius, sed fedatiorē Prophetico Spiritu æterna
 „Numinis decreta patefaciens atque in eorum eventus tan-
 „quam presentes poëtici ignis vivida vi se inferens. Ergo Mes-
 „siae dignitas e Pontificatu æterno formulæ Melchisedecianæ
 „derivata antiquior est & augustorum juriū lœtabiliumque
 „munitum ferentior ea maiestate quam stemmati Davidico soli
 „tulisset acceptam. „

SECTIO II.

Psalmi CX. ad typum Dramaticum expositio.

I. Accessus & tractandorum descriptio.

Nostro jam Marte & quasi nuspiam de dramatico Psalmi
 nostri habitu præmoniti Exegeticum ejus scrutinium aggredi-
 diamur. Enimvero amolienda est suspicio spretæ ob clavis a
 Jesu & Petro porrectæ reverentiam Grammaticæ Criticæque
 Iucis, vel extortæ verbis, nullo hermeneutico jure, fenten-
 tiæ hypothesi congruentis. Quodsi enim allocutionum con-
 sideratio, verborum formularumque genuina vis, sensuum
 imaginumque non micans saltem sed radians ad certas perso-
 nas & antiqui ævi historiam respectus, ubivis attenti lectoris
 animo dramaticam odæ conformatiōnem insuffrare reperiatur,

tum vero ad hanc legem licebit interpretationem ceteram dirigere, praelucente tamen ubique Philologia legitimaque Crisi. Nec Servatori in os contradicere censendus erit interpres in hunc obtutum se componens, ubi etiam exploratum sit, neque formulam *τηνύντες* neque pronomen *αὐτὸς* eum sensum pati quem in priore sectione adstratum ivimus. Prater eas enim, quas in Proemio occupavimus, rationes, hinc maxime iniquitatis argueretur itiusmodi insimulatio, quod & alias loca V. T. manifestiore *προσωπωνίαν* habentia in N. T. ad libri, in quo extant, auctorem simpliciter referantur. Sic, quæ *Ezaj.* LIII. 1. leguntur verba *καὶ ἀπέγινεν λόγος*, indubie, per scenæ Propheticae ibi instructæ speciem, nunciorum cap. LII. 7. sqq. introductorum vocem sonant, cui deinceps contentorum Messiae vox resonat, & tamen bis in N. T. ita citantur ac si Esajas ibi suam continuam detexeret orationem *Joh.* XII. 38. *Rom.* X. 16. Fac utробique extare similiter *Ιεραῖς αὐτὸς λέγει*, ne sic quidem interpreti isto dramatico periochæ Propheticae obtutu foret interdictum. Constat quippe citationi veritas & probandi virtus si ab Esaja haec querela memorie prodita est, & perspicue inde intelligitur, animum malignum clarissimæ divinarum patefactionum luci reniti. Sic etiam in eadem periocha Esajana dialogismum, in quo Propheta ipse loquendi vices non habeat, ab Eunucio Aethiope ultro fuisse deprehensem, etiamsi dicat: *ὁ προφήτης λέγει* *Act.* VIII. 34. alibi erit ostendendi locus.

Securi igitur eodem jure utamur, quo in similibus Davidi Syntagmatis odis alii interpres usi sunt. Ac primum quidem Psalmum in sua membra dispergitum lectorum oculis subjiciamus, verbis ex nostra crisi (parcissime illa a Maforeticis punctis devia, a literis nuspiam) adnumeratis, nostra versione subiuncta & alloquiorum argumento prænotato, quod quidem postulati instar tantisper sumimus. Dehinc annotationes quasdam nostram interpretationem firmaturas adspiceramus, & sic demum Lyrici dramatis formam odœ vindicemus

argumentis insitis & externis, eademque opera, quomodo, hoc schemate sumto collatisque aliquot S. S. locis, Psalmi nostri sententiae pias mentes Christianas ad æternæ majestatis divinæ Christi cogitationem provehere possint ac debeant, ostendamus.

II. Psalmi CX. facies ex nostra crisi, partitione membrorum, sententiarum a personis loquentibus prolatarum summa, subiuncta verstone.

Personæ cœlestis ex primariorum Jehovæ ministrorum choro (verissimilime Melchisedeci) voce adscita Davides oraculum divinum Messiam inaugurans proclamat.

א. 1.

נָאֵם וַיְהִי לְאַרְבָּנָיו
שֶׁב לְרַמְּנִינוּ
שׁ אֲשֶׁר אַבְקָר חָרֵם לְגַלְיָה

*Oraculum Jehovæ ad Dominum — Sede ad dextram meam —
Quoad ponam inimicos tuos in scabelli pedum tuorum
loco.*

Idem aliis personæ ex propiore Numinis contubernio (verissimilime Abrahami) voce ad Messiam directa istud oraculum variata enunciatione ingeminat.

א. 2.

מִתְחָא שָׁה וְשָׁלָח וַיְהִי מִצְיוֹן
רְהֵה בְּקָרְבָּא אַבְקָר

*Baculum tuum pontificale protendet Jehova e Sione —
Sic imperabis in mediis barbaris a te antea alienis.*

Prioris personæ gratulabunda vox ad alteram ex Messia inau-
guratione nobilissimæ sobolis copiam ei augurans & sub
Messia signis fortiter militaturam.

ח. 3.

עַמְקָן כְּרָבָת
פָּוֹסֵט מִלְּךָ בְּמוֹרוֹן-קְרָשׁ
מִרְחָס מִשְׁׁהָרָר לֶה פֶּלְיְוָהָרָת

*Tecum erit ingenuorum voluntaria militia — Exercitus tuus
imperatori parebit ornatu sacerdotali amido — Prestan-
tior, quam quæ e serva matre nasci posset, soboles gremio
tuo adnata familieti tibi vicem praefabit (gregariæ militiæ
partes explebit.)*

Gratulationi recinit Abrahamus similiter plaudens amplifica-
tioni & illustrationi, quæ Melchizedecianæ disciplinæ pon-
tificali ex inauguratione Messia obtinget.

ח. 4.

נְשַׁבֵּעْ חֹווֹ וְלֹא יִנְחַם
אֲתָה־כָּהּ לְעוֹלָם
עַל דְּבָרַתִּי מֶלֶכִי־צָדָק

*Juravit Jehova neque adeo pœnitibit Eum — Te fore sacer-
dotem perpetuum (futuri omnis ævi Numinis cultoribus
præfectum) — Qui agmini meo (discipulatui) præsit veri-
sum Melchizedecum.*

Chorus, sermone ad Abrahamum converso, ex antegressis
Dei in legatorum suorum contentores judiciis futurorum
æstimans severitatem, firmissime faniendum Messia inau-
gurati imperium sacrum portendit.

F 3

ו. 5. 6. 7.

ארני על ומיינך
מיחז ביום אפי מלכים

דין פניהם

מלך גוונות

מלך ראש על-ארץ רפה
מלך בירך [ושתיהן] ישתנה
על-כן רומיים ראש

Dominus dextra tua affidet (qui affidet) — Internecina ille clade (olim) reges adfixit tempore vindictæ sua opportuno ; (al. per ducem faciei suæ) — Is (& deinceps) judicem aget adversus nationes ; — Conferta cadavera stravit — Letabilibus iæibus percussit principes per spatiostum terræ træcum — Fiet & deinceps ut quis e profluento ad viam bibere possit (ut potum prebeat) — Fiet ut pali eredi symbolo caput (principem ductorem populi sui) exaltet. (propheticum ejus suprematum magnificet.)

III. ANNOTATIONES.

ו. 1.

[שֶׁב לִימָנִי] in poëtico schemate proprie intelligenda formula. Supremum Pontificatus fastigium ea designari Scriptorum Ep. ad Hebr. testem habemus locupletem c. I. v. 13. 14. ubi Messiam hac Dei voce disertissime esse supra angelos elatum contendit, qui πνευμάτων λειτουργιῶν sacerdotum inferiora ministeria obenitium personas gerunt. vid. supra. Nec obstat quod Paulus I Cor. XV. 25. eadem hac voce nixus Christum dicat debere βασιλεῖν. Ad sacrum enim imperium verbi hujus latitudo utique extenditur. Atque in illud quoque collimare Apostolum ex ו. præc. patet, ubi ἀρχὴ, ἐξουσία & δύναμις

a Messia abrogandæ religionum Christianæ adversarum Hierarchas & antistites quosvis denotant, ceu ex *Ep. ad Ephes.* locis plusculis e. g. I. 20. 22. colligitur.

אַיִבָּר **universe qui est infecto animo, h. l. homines imperio facio Messiae adversantes.**

V. 2.

שְׁבַת עֵזֶר [מִתְהָ] Sceptri regii proprium magis nonien est, מִתְהָ de virga, Pontificatus insigni, magis tritum. Atque notionem hoc restringere videtur additum עֵזֶר. Est enim Aron עֵזֶר arca foderis, proprie, ut equidem existimo, *arca oraculorum & intimioris alloquii locus* cf. *Psi. CXXXII. 8. LXVIII. 29. VIII. 3.* ubi סְכֻדָת עֵזֶר est: *primitus prodis interioris discipline vim*, KUYPERS ad *Ali ben Ali Taleb* p. 110. notat formulam וְאַלְעָנָה ו notare Arabibus *oraculorum editorem*. Virga Aaronis erat symbolum & tessera, eum oraculorum divinorum solum esse constitutum ḥaqav. Nota igitur ex historica imagine Hierarchæ, qui canitur, præcellentia illustratur, subindicante forsan Spiritu S. ejus doctrinalem auctoritatem, perinde ac Aaronis, miraculis fore fanciendam.

סְמָךְ Quid fecutus sit SYMMACHUS: vertens σὺν στένη πατέσθε εἴρησα τὸν ἔχθρον σα, definire equidem non ausim. Potuit ille liberiore versione dominatus notionem ad imperii facri præcipuum vim in docendo sitam restringere. Potuit vero & illam expressissime verbi notionem quæ, SCHULTENSIO docente ad *Hariri* p. 6. cognatae radici רְמֵם apud Arabes haeret, *ultra citroque movere*. Hac autem in junctura cum protensione virge pontificalis eo se trahi patitur, ut jam in altero hoc hemifitio proclamatus Hierarcha dicatur illud auctoritatis symbolum solutionibus lacertis libraturus medios inter barbaros. Malui tamen consuetum significatum in vertendo retinere. Cæterum memores esse velim lectors usus Imperativorum Futuris aliisve Imperativis subinxorum pro repetito Futuro, ubi præsertim actionis fructus promittitur, (*Prov. XX. 13.*

פְּקַד עִינְךָ שֶׁבַע לְהַמֵּט aperi oculos tuos, sic cibo ad satietatem potieris) nec non usus imperativorum pro optativo modo, perinde ac Futurorum. Sic enim intelligitur, quomodo verba textus in utramque hanc sententiam se porrigan: *Ita fiet ut imperium exerceas*, &, si præc. יְשַׁלְּחָנָה est: *protendat, precor*, in hanc: *tuque imperes*. Cf. GLASS Philol. S. p. 869. sq.

[בְּקָרְבָּן אַיִבָּן] inimici sintne in statu an in ampliacione, ut scholæ dialecticorum loquuntur, intelligendi, ipso vocabulo non definitur. Integrum igitur interpreti sententiam ita informare: fiet ut in hos qui quandam tibi infesti erant, postea autem prona animorum inductione conciliabuntur, imperium tuum sacrum vigeat.

V. 3.

עַמְךָ] Hanc lectionem, quam præiverunt Alexandrinus & Syrus, prætuli ob congruentiam quam רַא in sequente membro parallelo requirere videtur. Lectione quæ dat: *populus tuus* ceteroqui in nostro sensu contuitu nil fere mutaret. Multius tamen illa se præbere videtur sequentis vocis forma: נְרָבָת, quam adoptat MICHAELIS in Coll. Crit. ad h. l. durius jungitur cum נְרָבָה cf. Judic. V. 1.

נְרָבָה] Retineo lectionem Masoreticam. Aliquantisper autem hefi dubius, eumine præferrem hujus vocis significatum, quem bene adstruxit MICHAELIS Colleg. Crit. p. 518. quo נְרָבָה, per consuetudinem Hebreorum dignitatum nomina per abstracta feminina exprimendi, idem esse potest ac נְרָבָה, *dux, prefectus* sive *togatus* sive *sagatus*, an eum qui, retenta etymi notione & abstracto feminino in collectiva vi intellecto, emergit: *ultra devote*, vel *ex ingenuis conflata militares manus*. Posteriorem opposito in παραλλήλαις, וְרוֹתָה, alio abstracto collectivo, vellicatus prætuli, quamvis mire ceteroqui propenderem in gradationem supremi imperatoris decus illustrantem, quæ per priorem obtineretur. Forsan hæc vox

vox vim τῶν θεοῖς emulatur, quos Abrahamus Genes. XIV.
14. in aciem eduxisse legitur. Favet huic conjecturæ Græca
versio librorum Biblicorum aliquot Ill. DE VILLOISON studio
e tenebris eruta & typis recentissime apud nos descripta. Illa
vero Prog. XXII. 6. חנוך לנשׁ reddit: אַגְּזָתָה תְּמִוָּה. Nisi
forte ibi אַגְּזָתָה initandi notio adhibetur. Oblationum
spontanearum notio quam scil. voci נֶרְבָּה vindicare annititur
S. V. HERDERUS, ad meum Lyrici dramatis conspectum diffi-
culty fe acclimat; universa tabula aciem instruendam non
triumphatoris pompam exhibet. Cf. Judic. V. 1.

[כְּבוֹד] Potestatis, quam huic voci tribuo, præsidia pe-
tenda erunt e Periculo Exegetico de verbis וְ formulis S. S. in
re Hierarchica solennibus propediem a me edendo.

[חִילֵךְ] Cum dies exercitus commentatorum auribus in-
caſſum fonaret, gratis ſumferunt nulloque exemplo muniti
per se quoque significare victoriam. Exempla hanc notio-
nem nonniſi complexe in junctura cum עֲשָׂה ostendunt, quod
profecto ineptissime eo traheretur, ut עֲשָׂה reportare vel ob-
tinere & חִילֵךְ victoriam notare putaretur, sed vel inde forfan-
erat, quod victor a re fortiter gefta laudaretur, חִילֵךְ in phraſi
adverbialiter ſumto pro בְּחִילֵךְ, vel quod victor conſideraretur
tanquam potentiam ſuam augens, ſimili ratione ac
עֲשָׂה פִּיכָּה pinguedinem facere dicitur Job. XV. 27. MENDELSONIUS
fortitudinis notioſe ſubſtrata & audaciore metonymia ſumta
exiftimavit vocem de prælio ab heroibus commiſſo intelligi
poſſe, unde vertit Heldenſchlacht. At ſic æquo jure ad quam-
cunque rem aut actionem, in qua fortitudinis ſpecimina edun-
tur, חִילֵךְ tropicam ſuam poſtatem porrigeret. Pompe trium-
phalis notioſem affumit S. V. HERDERUS, tropi nova transla-
tione eo audaciore, quod emulabatur faltem triumphatoris
pompam Davides cum arcā Jehovæ transferret; illam enim
ſolennitatem Poëtam in mente habuiffe arbitratur vir doctiſſi-
mus. At illa duriuſcule signaretur voce roboris & bellicæ
virtutis notioſem ex potiore & obvio ſignificandi officio of-

ferente. Igitur diem *frumentitatis* pro die victoriae ponit, nec
fere aliter intelligi posse ab his qui vatem haec existimant ad.
Messiam dicere, nec meum agnoscent vocis **יְהוָה** intellectum,
non invitus equidem largior. At in meo conspectu vulgaris
mihi copiarum militarium notio omnino tenenda, ita tamen,
ut ob synonymicum cum **נְרֵבָת** parallelissimum earum robur
& flos hic intelligatur. Etenim *Pf. LXXVI. 6.* **אָבִיו לֶב** &
אֲבָשׁ חַלְל in parallelis synonymis permuntantur. Levi autem
discrimine habeo, struturum hoc nomen in regimine cum
יְהוָה, an sit nominativus ad complendam sententiam perinde ac
præcedens **נְרֵבָת** in versione requirens **τὸν εστίν**. Posteriorem
tamen rationem præfero, quoniam minus implexam membris
structuram præbet quam illa que dat: tecum sunt ingenui
sub imperatore exercitus tui ornatu sacro coruscant. Gravior in-
cisorum vibratio: *tecum sunt lectiones cohortes; sacerdotis summi*
ornatus sacro coruscantis auspicio colit copiarum tuarum robur.

[**בְּרוּרִי קְרַבָּה**] Qui haec verba ad **נְרֵבָת** trahunt illi vero
necessæ habent de *amicitu festivo* cogitare per synecochen
meo sensu duriusculam. Propriam vim **τὸν κράτος** relinquere
potest, qui principe imagine Hierarchæ inaugurati nixus ad
proximum **בְּיַם** refert. Qui meam vocis **יְהוָה** interpretationem
ante auditæ rationes refugit quidem at non expludit, cum
eo, quod recte atque ordine facit utrumque, vicissim libe-
raliter agam, atque ostendam, quomodo & ipse, retenta vul-
gatione notionem sententiam principi imagini & schemati poë-
tico convenienter informare possit. Sumo videlicet, ad stipu-
lantibus sine dubio sacræ Poëtices consultus, ex actuox **סְעִירָתָוֹת**. Lyricæ lege subjici potuisse Poëtæ imaginem chorii
fæderotum gregariorum primicerium suum stipantis, atque
hunc comitatum, voce **יְהוָה** in judicialibus confessibus alias fre-
quentata, potuisse describi. Sumo præfixum **בְּ** in subordinationib-
us æque ac adjunctionibus tritissima consuetudine adhiri-
beri. Et jam quæro an dissonus ab Hebraica veritate sensus sit
vel hic: choro vestitu sanctuarii amictorum (periphrasis fa-

cerdotum) stipatum incedit militiae tuae robur, vel hic: chōrum antesignanum habet?

מְרֹהָם [Ellipsis] vocis ט e membro posteriore hic adsciscit luculentis exemplis similibus adsertam LOWTH. de Poës. sacr. Hebr. T. I. p. 207. ed. Götting. Praesobole ex ... nascente; jam illa præcellentia sitne in numero an in indolis ingenuæ præstantia ponenda, an in utroque? liberum est interpreti ex cetera textus conditione arbitrari.

מְרֹהָם מִשְׁרָם Erat cum priore vocabulo ad membrum præc. tracto posterius legerem מִשְׁרָם cum Chaldæo, sensu exeunte hoc: ornatu festivo candore album marmor superante; properat ad te Sed postea mineræ exoticæ אַתָּא אֶלְעָזָר nomen Arabibus, dubium in qua provincia & quætate, saltem usitatum non nisi extrema urgente necessitate Davidi commodandum duxi. Hinc itaque rejectus in posterioris vocabuli punctatione Aquilæ me partibus adjunxi, sed de sensu constitundo dubius diu hæsi. Prædicati, quod τὸν ῥῆμα propriæ intellecto conveniret, integræque sententiae apte federet, vis participio passivo asserenda erat necessario. Eam igitur ex facili ab ea nominis שְׁרָם, de fascino & incantatione usurpati, ducta esse poterat, quamvis alio exemplo Biblico non prostante. Vid. Ill. MICHAELIS Epimetr. ad LOWTH. Prel. p. 355. Emergebat igitur dictio sensus literalis: ex utero fascinato, mens ipsa: ex matre sterili. Poëticus nimis stilus & a fabula & didita in plebem superstitiona etiam opinione tropos ducit. At gravibus dehinc rationibus infra proferendis persuasus, præfixum מ hic necessario rei substratæ per comparationem augendæ esse, preferenda mihi visa est quecumque interpretatio, vi nulla verbis facta, Abrahamicæ sibolis multitudinem supra extolli faceret. Cum igitur dupli anſa apprehendendam se mihi daret formulæ mens hæc: pre ea prole que erat e matre serva, palmarum illi decrevi. Ac primum quidem extra dubium est, Chaldæis & Syris radicem שְׁרָם in Piel esse per vim possessionem rei sibi vindicare, hinc ad servilia ministeria adigere, angariare, &

nomen שָׁרֵךְ esse servile obsequium. Hebreis autem non omnino ignotum fuisse istum usum colligo ex *Prov.* XIII. 24. ubi membrorum antithesis flagitat, ut, quemadmodum שָׁבֶט est qui virga condita præmature filium patria potestate eximit siveo permitit libero arbitrio, ita שָׁהַר וּמִסְרָר fit contraria vi qui filium disciplinae mancipat, servituti addicit dum sit doctrina imbuendus. Quod forte gnomicum acumen præ oculis habuit Paulus *Rom.* VI. 15. sqq. Deinde si vacillans judicaretur hoc interpretationis propositæ fulcrum, en aliud mutato litera ו puncto diacritico emergens: *præ matre emtione titulo serva*. Quippe & alibi videmus שָׁהַר & שָׁהַר, quod cum כָּהֵן coincidit, ab antiquis interpretibus promiscue haberet. Etiamsi igitur, quod HERDERO non extra suspicionem videtur, ו in hac voce librariorum, literam præc. vocis finalis duplicantium, incogitantia debeat, tamen & רָחֵם vel שָׁרֵךְ significatum a me adsertum sustinebit.

[לְךָ תִּלְ] Ellipsis τὰ εἴη, sit, vel si præfixum ל ad exponas, venit, se adjungit hic requirit consonantia cum præc. עַקְבָּה. Quemadmodum igitur hæc duo synonymice sibi recidunt & aggregationem ad signa ducis notant, ita תְּרִילְוֹת וְנָרְבָּה antithetice ad תְּרִילְוֹת & נָרְבָּה resonat.

Multum fudant interpretes in concinnanda & perponienda imagine quæ rorem juventutis majore copia quam ex utero auroræ profluentem fiftit. E recentioribus interpretibus primus a roris idea cogitationem fevocare feliciter ansus est S. V. DEDERLEIN *Schol. ad h. l.* sed non sat liquido, uti equidem arbitror, philologico jure pueri notionem e Syriismo substituens. Quid si probavero, תְּרִילְוֹת non metaphorica vi *sobolem numerosam* fed metonymiæ virtute *sobolem* universæ per originem denotare aptum esse, multitudine aliave præstantia ex augente comparatione, quæ in præfixo ו latet, per se intellecta? Primigeniam vim radicum cognatarum תְּרִילְוֹת & תְּרִילְוֹת in *projiciendo*, *ejicendo* sitam cum nomine תְּרִילְוֹת communicata esse, parum dubitationis habebit, ita quidem ut, quem-

admodum Rabbinorum טַלְתָּא primaria vi *projectio* est, se-
cundaria s. metonymica *migratio, deportatio*, quæ nimirum
ejectis supellestibus fit, sic טַל ejectum ex utero materno
vitalem partum notaret. Sic HOMERO *Iliad.* XIX. 110. nasci
est טַלְתָּא מִתְּרָסָה γεννάμε. Atque si rori ipsi ex projectione
nomen inditum suspicer, obviam idearum idem signum ad-
eptarum cognitionem teneam. Sed age latus vel sic adhuc
nudum tegamus, & ESAJÆ quoque vocem eoden significatu
usurpari ostendamus. Ita vero ille XXVI. 9. *Mortui tui vi-
vent, cadavere tenus surgent. Evigilant et, ovant omnes in
pulvere habitantes,* בְּכֵל אֹרוֹת טַל וְאֶרֶץ רְפָאִים הַטַּל. Hic vero obserandum interpreti inprimis, vatem in præ-
cedentibus ex adverso ponere imperium Babylonicum irritis
moliminiibus ad pristinum vigorem emitens, simile eatenus
parturienti nisibus in vitalem partum edendum incumbenti.
At in republ. Judaica, sic jam pergit, ea est usquequaque
in melius restituo, ut vel mortui vitae reddantur, nec no-
vus hic partus enixionis cruciatu constet. *Enimvero* (sic rem
eleganti botanica imagine illustrat vates, quam III. MICHAELIS
in *Syntagm. Commentatt.* 1767. edito p. 164. philologica
quidem, at minus plena exegética, luce perfudit) *projectio* (i. e.
in hoc emblemate *vegetatio*) *malvarum* (in sepulcris quippe
sponte nascentium) *est tua o Jehova projectio* (i. e. foboles,
quam tu in lucem edis, e tumulis malvarum ritu ibi luxuriantे
vegetatione nasci videtur) *terra manes uno quasi enixu pro-
trudit.* Exilio & pro æstheticæ rei illustratione retrusior effet
roris in malva abundantioris imago, & membra posterioris
parallelismus, me arbitro, durisculæ sarcitur, si terra hoc
rore conspersa & fecundata manes in vitam catervatim redu-
ces ibi adumbrari sumas. Hæc obserratio lucem forte com-
modabit dictiōni Hebr. XI. 11. in simili arguento adhibitæ:
Σέρρα οὐρανοῦ εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔδειν, ubi, si καταβολὴν ex
Hebr. הַדָּעַ explices, planum habebis simplicemque sensum;
vires pariende soboli idoneas recepit.

סuffixum Syntaxis Hebraica ad ט referre jubar. Cui legi obsequens verto: sfooles tua quæ tibi famulitii vernaculi vice erit. Potestatis hujus argumenta dabunt Lexica in vocibus יְלֹוָה & יְלֹוָה. Ese autem נֶרְבָּה e regione positum, gregariz adeo militiz designandæ comparatum, supra monui. Ac nullus equidem, etiam si nulla mihi federet de alloquio hic ad Abrahamum directo anticipatio, essem dubitaturus, alludi saltem ad Patriarchæ militiam ex יְלֹוָה בִּתְרוֹן. Suffragatorem mihi habere videor AQUILAM qui redit *messias*.

Si cui precaria videatur nostra vocis ט acceptio, videat an magis probet hac crisi sententiae concinnitati consulentem, ut primitus dicat scriptum fuisse רְכֵל לְקֵל, atque, cum orthographicæ varietas *tibi* לְכָה scribere permetteret, ה ex sequentis vocis initio ad præc. finem esse tractum, ab aliis dein librariis, communem scriptionem sequi malentibus, omissum? Sic funderetur eodem exiens sensus: *ad te projicitur familiatum tuum.* i. e. liberæ conditionis & tuæ profapiæ habebuntur gregarii quoque exercitus tui milites.

נְשָׁבָע] Cum juramenti formam edictum v. i. proclamatum non habeat, ejus hic inducta mentio vel hunc habebit explicatum, quod vates divino instinctu interpretative decretum illud adeo solenniter promulgatum ad jurato factæ asseverationis vim reducat, vel ut verbo in prefenti tempore accepto nova proclamatio fieri intelligatur: *Jurat Jehova,* vel ut notissimum aliquod in historia sacra Numinis juramentum jam in omni suo ambitu & virtute exsolvi innuat. Postremum hanc rationem quare preferam infra docebitur, id saltem hic statim monitorus, posse eam cum secunda conjungi.

כְּחַזְקָה] Si suo stent loco quæ de *Adoni* dicta sunt & de confessionis ad dextram divinam oppositione ad ministrantia πρεσβυτερια, aliena ab hoc loco debebunt judicari S. V. HERDERI de hac voce Philologemata, ruinamque minatur ejus de carminis

specie universa hypothesis. Conclamatuni autem erit, ubi pro explorato habebitur in altero membro dici: tu eris mihi verissimus Melchisedecus, siue jam simpliciter per *ἰηορεματιαν* Hierarchia portendatur Patriarchali similis, siue cum allusione ad nominis compositi etyma. Vel sic enim קָדֵש erit de simplici fidei religione Abramica capiendum, quemadmodum & *Hebr.* VII. 2. σαλην per εἰμίν quidem etymologicè explicatur, vocis autem vis in veræ integræ & perfectioris religionis professione ponitur, quam sibi arrogantes Muhammedani Moslemi hodie vocari gestiunt cf. *Esaï.* XLII. 19. Vel sic igitur non tam regium quam pontificale decus laudaretur.

לְעוֹדָם Vocabulary forma Grammaticum jus duobus sensibus adstituit; vel *ad omne ævum*, vel *secundum antiquissimum ævum*, i. e. Patriarchalis sacerdotii (rituum nim. onere carentis) formulam. Priori argumentationes Scriptoris Ep. ad *Hebreos* favent; vid. supra ad *Hebr.* IX. dicta. Anterior maiestas Hierocratica interlucet ultra τὸ πνεῦν, ex collato *Adoni*, Σιδώνιον meditanti. Qui enim hoc nomine evocatur ad capessendam provinciam Pontificis genti humanae præfecti, ille, ni vanas species Poëtae tribuere velis, simili fastigio jam ante supra celsioris ordinis naturas intelligentes eminuisse perhibetur. Atque huc collimare mihi videtur Servatoris illud *Joh.* III. 13. cuius mentem in hunc modum intelligo. *Nemo* (Prophetarum anteriorum) *in celum ascenderat*; *solutus ille qui de celo descendit* (illuc ascendet) *Messias qui in celo fuerat*. ὁ ἦν perinde ac *Joh.* I. 18. capiendum. Dat igitur Psalmus προφῆταιος Christi indefinitæ anticipationem, quam Johannes distinguebat ad ævi divini infinititudinem ampliat. I. 1.

עַל רֶכֶתִי Cum Alexandrinus reddidisset κατὰ τάξιν, sacerdotum autem classes ἱερωμέτα in N. T. dictæ apud eundem passim τάξις audiant, radix autem, unde nomen דְבָרָה descendit, in pone sequendo propriam sedem habeat, agmen adeo ab antesignano ductum significare possit, factum est ut

prona confessione interpretes, et si nullo hujus usus exemplo
 simili fulti, hanc notionem, que Salemici Sacerdotis men-
 tionis aptissima videbatur, adoptarent. At cum perquam mi-
 rum non possit tamen non haberi, nomen Davidi, classium
 sacerdotialium instauratori, usurpatum nuspiam apud annalium
 Hebraicorum scriptores reperi, tritæ vix deferendæ sat
 idonea subesse videtur ratio, sicuti meliorem lucem Philolo-
 gia irradiet. Significatum nominis **רְבָרָה** conjugato **com-**
modat III. MICHAELIS & incisum vertit: *über das Heiligthum*
Melchisedechs. Plus forsitan speciei habitura erat haec nova in-
 terpretatio, si dedisset: *über mein Heiligthum sollst du ein Mel-*
chisedech seyn. MENDELSON: *Der Sänger täuscht nicht Kä-*
nig Zedeks. Scilicet, quod litera illi sonabat: *nach meinem*
Wort, suffixo ad-vatem relato mentem expressit. S. V. HER-
 DERO **רְבָרָה** idem est ac **פָּנִים** *Pf.* II. 7. pactum cum familia
 Davidis initum, atque quod sic litera ipsi fundebat: *nach mei-*
nem Wort, suffixo ad Jehovam relato, solutius ita effert:
ich ordne dich mir zum Melchisedech. Parallelismus sibi lu-
 culenter patrocinari existimat vir eximius, periocha in has
 binas sententias suaviter recinente resoluta: irrevocabili ju-
 rejurando te perpetuum sacerdotem constituo; ex rata pacti
 formula Melchisedecus mihi esto. Sed cum palam in quatuor
 membra scissa sit periocha, vereor ut parallelismi poëticæ
 leges addicant respondentem **רְבָרָה** **שׁ** ideam in compacta
 duorum priorum membrorum sententia quærenti. Felicius
 igitur **אַמְלָאֵחֶז** elegantiam tuebitur interpres qui formulam,
 de qua agitur, cum **לְעוֹלָם** componit, ut remanens Melchi-
 sedeci nomen antonomastice sumtum, (in hoc enim modo me-
 moratis duobus interpretibus omnino adsentior) subauditio
אֲמָדָה כוֹנֶה, **תְּפִלָּה** resonare possit. Jam si sacerdos in omne
 ævum consecratus censetur Dei cultoribus & disciplinæ inte-
 rioris, quos per omne ævum habiturus est, alumnis præfici,
 horum notionem parallelismus inclamat, modo verba pa-
 tiantur. At pati illa per duos conspectus supereft ut ostendam.
 Primum

Primum, si in supra adserta agminis notione maneamus, & suffixum ad Jehovam concepta juramenti verba continuantem referamus, *agmini meo præfetus* erit: mentium omnium sive cœlestium sive terrestrium duxtor; fin, ut infra docebitur, Abrahamus hoc commate Melchisedeco, imperatoria decora ipsi gratulato, respondet, atque Jehova jurantis oratio recte formam, ut in omni relatu orientales solent, præferens obliquæ valore censetur, neque idcirco necessario tertium quoque incisum illuc referendum est, poterit illud enunciare sacerdotis perennaturi *χριστον* ad loquentem personam hoc flexu: Jehova juravit . . . te fore Sacerdotem omnis ævi, qui agmini meo, i. e. exercitu meo, cuius modo præstantiam laudasti, id erit quod olim mihi in Palæstina copias ducenti Melchisedecus. Vel me non monente intelligetur, poëticæ teste detracta hanc prodire sententiam: Abrahamicæ fidei affectatores in pontificalem Messiacæ disciplinam erunt conseribendi. Alter qui mihi se obtulit conspectus is est, ut Abrahamus absque militaris agminis imagine proprie dicat Hierarcham inauguratam fore disciplinæ suæ nutritiorum universitati præsulem. Quemadmodum enim masculini רְכָב significandi latitudo, præceptionem doctrinalem comprehendens, cum foeminea forma potuit communicari, ita etiam hæc eadem collectiva vis potuit transferri ad exquisitoris disciplinæ sodalitum. Atque hæc mihi notio pellucere vifa est Job. V. 8. ubi parallelimus cum אֲדֹרֶש attendendus. At priorem rationem nunç præfero, & propter poëticam virtutem luculentiores, & quod ad idearum seriem principemque imaginem magis quadrat. Quodsi denique ex me queras quomodo jam hæc φιλολογία cum Scriptore Ep. ad Hebr. conciliari posse putem qui palam videtur κατὰ τὸν τάξιν Μελχισέδεκον in regimine ponere, τάξιν autem pro classe sacerdotali adeo diserte accipere ut cap. VII. II. leges κατὰ τὸν τάξιν Ααρὼν ex adverso ponat, paucis ita habeto. I. Μελχισέδεκον & Ααρὼν genitivos ibi esse liquido indicio non constat, me potius arbitro scriptorem ita intelligere integrum

H

est: „Si consecratio durante (§ia) Levitico sacerdotio con-
 tingere debuisset, (prouti videti posset, quod populus le-
 gem illo jam constituto accepit) quid deinceps attinebat,
 „alius plane generis sacerdotem constitui, qui ceteri, cui an-
 „tesignatus praedit, Melchisedecus sit (einen Melchis.)? quidni
 „dicebatur potius, eum fore, respectu sacræ militiæ ipsi
 „subordinandæ, alterum Aaronom?“ Argumentationem hanc
 ut sic informem, duabus inducor rationibus: 1) quod v. sq.
 12. ratiocinii vis stringitur observato, pontificatus translatio-
 nem non nisi inducta alia disciplinæ religiose forma (νόμος με-
 ταρθεῖς) locum habere posse; τάξις itaque scriptori est non
 sodalitium arctius sacerdotum uni capiti subjectorum, sed disci-
 plinæ pontificali adscriptorum universitas. 2) Quod v. 15.
 fensum liberius promens dicat κατὰ τὸν ὄμοιόντα Μέλχ., non
 profecto quo ὄμοιόντα & τάξις pro synonymis haberet, sed
 indicaturus, eum qui antonomastice alter Melchisedecus elueat,
 eidem præcipua quadam ex parte simillimum esse. 2. Cum
 Messiam ad classem sacerdotalem Salemico pontifici subjectam
 aggregandum esse αὐτῷ admodum, eidem autem præficien-
 dum esse & præter usum præpos. κατὰ & præter Hierocratiae
 Messianæ, pontificibus secundanis cariture, indolem (per
 cap. IX.) dicturus fuisset scriptor, quin teneamus igitur sen-
 sum, Grammatico jure nixum, & salebris istis expeditum b).

b) Fluctuationis autem omnis circa hunc locum expers erit qui Epist. ad Hebreos non Græcum textum authenticum habere existimat. Sic enim scriptor, verba Hebraica Davidis adnumerans, constructio-
 nis a nobis adserata copiam lectori reliquit integrum. Quemadmo-
 dum & eidem hypothesi addictus facile concilietur nostra inter-
 pretationi vocum καπές & οὐειδῆς p. 20. Si enim archetypum
 habuit זמְן וּבָרְעֵל בְּכִנְרַע in concionis promiscua & sodalitii
 intimioris notiones sponte incidebant lectores, maxime si Man-
 dai Ijahi, quo nomine Sabii, vulgo Christiani S. Johannis, se
 chaldaizante idiomate vocant, sodalitium vel discipulatum interio-
 rem Baptiste sonare, explorare constaret. Sic enim & i. Petr. III.

3. Paragogici , cuius otiosa adjectio & alias parum idoneis exemplis firmari solet, in nominum regimine usurpati unicum faltem speciosius proferri video exemplum *Esaï. I. 21.* ubi vates, postquam priore membro fidem a casta olim civitate turpiter violatam deploravit, subdit: **מִלְאָתוֹ מִשְׁפָטֶךָ לְיִוָּהּ בָּהּ**
Ni autem omnia me fallunt, habent hæc verba allegoriae involutam sententiam huicmodi: *maturum meum vinum equitas* (prædicatum ex sequente membro retro agitur) *veritas in eau tanquam in torcularis locum desidebat.* Cf. de **כָּלָאָה Num. XVIII. 27. & vim verbi in *secedendo in redditorem locum sitam*, atque hinc ad *pernoctationem* æque ac ad *rebellium secessiones* aut confluentes globos translatam, latius adstruere jam non vacat. Alexandrinus igitur, quem sive ipse Scriptor Epistolæ sive ejus interpres sequitur, *vel* legit: **רְבָרָה** *vel*, quod Codices aliquot Kennicottiani propinant **רְבָרָה**, quod sensum præberet: *tu es sacerdos qui sicut diecesi est Melchisedecus*, atque pronomen reciprocum more Græco & Latino omittendi jus dedisset, *vel* ad Chaldaicum idiotinum, quo **עַל רְבָרָה** est Francogallorum *c' est - à - dire*, sensum exprefit formula, cuius vis *Ephes. V. 26.* etymologice redditur *ἐν πατρὶ*, (vid. KOPPE ad l.) hic forsan, ad Græcorum Grammaticorum morem, qui verbum aliquod *τάσσεθαι* dicunt pro vulgatore in glossariis apposito, *vel* pro patronymica terminatione habens, & de prima acie sensu amplificativo capiens, Græcum *τάξις* in eadem emphasi adhibuit, *vel* denique, quod vero proximum habeo, adfixum primæ personæ neglexit, quippe in incipiti hærenstine ad Jehovah, an ad vatem, an ad interloquenter personam referendum. Cyrus reddens **כָּרְמָה** *in finitudine Chaldaismum & ipse probabiliter habuit prælucem.***

21. συνιδέστως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν intelligeretur, apposite ad paucos per diluvii undas servatos, de stipulatione lectiōni fodalitio, Deo devote, nos aggregante. Similis forsan vocie sensus v. 16.

אָרְנוֹת לִמְנַךְ גֶּזֶב] Ob alloquium ad personam præsentem, quæ Jehovæ ad sinistram est, Poëta mihi non suis sed Chori alicujus Israëlitici verbis hac pictura respectum in præterita & prospectum in futura Dei ultioris judicia complecti, manumque de tabula tollere videtur, ubi Messiae victoris, & confirmatum imperium sacrum habentis, imago sensus ejus ad æquum & Lyricam actionem ad rotundatum ambitum perduxit.

מְחֻץ דָּן גֶּזֶב] Quamquam Poëticus Hebræorum stilos solutiorem alias frequentat Præteriti & Futuri in verbis usum, hic tamen temporum variatio mihi videtur interloquentis Chori alternantes voces arguere. Succlamatur votivis acclamationibus quæ præcessere. Ex refricata Patriarchalis & Mosaici principatus sacri memoria spes de amplianda familia Abramica spirituali & perrumpendis divina vi obstatulis ostensa confirmatur. Sensit momentum quod in hoc sermone trahit ævi elapsi & venturi collatio MENDELSON & in verendo expressit feliciter.

מְחֻץ מְלִיכִים] His verbis rediri mihi videtur in memoriam internecinæ cladi, quæ Abrahamo duce, & Salemico rege facerdotalia auspicia præbente, quinque regibus Palæstinæ illata est.

בְּיוֹם אֵפֶר] Vulgatam significationem vocum in versione quidem retinui; attamen si יְהֹוָה v. 3. non est dies sed dux, hic eandem notionem recurrere eapropter existimaverim, quod consentaneum sit chorum ad laudata personarum inducitarum decora digitum intendere, & historiæ fide constet, Salemicum regem in rei ab Abrahamo præclarare gestæ partem magnam venisse. Quidni igitur is vindictæ divinæ executor & faciei divinæ legatus dici potuit, quippe personam alias angelis propriam gerens Exod. XXXIII. 2. 3. Jos. V. 14. Esaï. LXIII. 9. Simili enim modo Thren. IV. 20. rex Sedenias vocatur רַבָּה אֲפִינָה nofer spiritus (i. e. sacerdos) faciei scil. divinæ, is qui nobis sacerdotis averrunci, angelique tutelaris vicem prestare debebat. Est autem נָשָׁה, et si in singu-

lari rarius, *facies Ps. X. 4. Deut. XXXIII. 10. I Sam. XXV. 23.* Sin displiceat hic ad Salemicum sacerdotem respectus, mea pace & a Canaanæis regibus removetur cogitatio, & universæ ad reges divinorum Prophetarum contemtores traducatur, atque tum similiter formula nostra indefinite capiatur: *per aliquem faciei suæ ducem.* Subinnueret utrovis modo chorus, fore ut, qua his auspiciis olim edita sunt in reges divinæ vindictæ exempla, ipsius Messias auspicis edantur luculentiora. Sic maneret nostri oraculi admonitu Messias spretæ suæ majestatis ipse ulti, (cf. 2 Thess. I. 7. 8. 9.) etiam si *Adonai* non de illo sed de *Jehova* intelligere diserta Scriptura analogia cogimur, quæ Mosaicae & citerioris Theocraticæ periodi ultrices interneciones ad *Jehovæ* efficientiam, vel *æuera* vel angelorum ministerio usam, constanter refert.

בָּנָיו בְּנֵי יִצְחָק] Senitus: is qui a regibus adeo tremendas penas sumvit, integras etiam gentes ultione sua coercedit. Si præc. incisum ad Abrahamicam victoriam spectat, perquam mihi probabile fit hoc alludere ad Genes. XV. 14. ubi eidem Patriarchæ Deus præsignificat, se *gentem*, (Ægyptiam) quæ posteros ejus in servitutem redactura sit, *judicaturum*. Scilicet curabit Idem ut ne impune sit genti potentiori Messiano pontificati devotos servitutis jugo oppressisse dirisve persecutionibus adfixisse.

מִלְאָגָוָה] Stipavit (quondam) cadavera. Verbum Hebreis de *infinitibus* usurpatum; unde mihi sequens בְּרַבָּה ad hoc quoque incisum videtur acclinandum: *terram fratris corporibus exanimatis quasi distinxit.* Ad aliquam antiquioris historiæ scenam & hoc pertinere prope exploratum habeo, *ad quamnam?* timidius confituo. Non abs re Poëtæ phantasie ad Mosaicum ævum delabi existimetur, in quo vix est quod poëtice illustrans divinis vindiciis, Hierarchæ auctoritatem stabilitibus, accommodatus sit, quam Korachicæ factionis strages, quæ gregariorum afflclarum multitudinem per spatiolum tractum terræ hiatibus absorpsit, capita autem

(**רָאשׁ** i. e. primarii factionis duces cf. *Num. XVI. 2.*) jam ante deglutitionem fulminibus tacta sunt ibid. v. 35.

[**כִּנְחֵל בָּרוּךְ יְשָׁהָה**] Prospectum ad futura repetit chorus, & cum ad firmandam Mosis auctoritatem seditionibus identidem labefactatam nil magis valuerit quam elicta baculi pulsū e rupe aqua, in majus tollit hanc imaginem, adeo largum aquarum fluxum præcinit, ut propter viam volvantur & ex alveo præteriens quisque bibere possit (**תְּהִשְׁבַּשׁ** vel impersonaliter sumendum, vel legendum **תְּהִשְׁבַּשׁ**). Nescio annos hic conspectus lucem aliquam affundere possit vexato loco *i. Cor. X. 4.* si Apostolum ibi existimes dicere, hujus in manus auctæ imaginis vim interioremque mentem (*πνευματικὴ πέτρα*) jam in Arabic Israëlitarum itinere locum habuisse, quatenus per omnem viam eos comitantibus doctrinæ salutiferæ rivis recreari poterant (*ἀκολαθῶσα πέτρα* vel est pro *ἀκολαθῆν ἡμῶν πέτρα* vel est Abrahamus rupis imagine *Ezaj. L. 1. 2.* commemoratus, ad quam usque sint oculi Israëlitis reflectendi, docilitasque ingenua, qua Deum vocantem secutus est, iis æmulanda, ex quo igitur bibere probis mentibus fuerit Christianæ fidei rudimenta haurire, *καὶ πέτρα ἡνὸς Χριστός.*)

[**כִּרְמֵם רָאשׁ**] Cum semel in eum hujus sermonis contuitum delatus sum, qui Messiani pontificatus stabilimenta imaginibus Mosaici suprematus confirmati expicta ostendit, temperare mihi nequeo quin hic ad sublatum in pertica serpentem cupreum digitum intendi putem. **כִּרְמֵם** respondet *τῷ Σεπτεμβρίῳ Num. XXI. 9.* five hoc posterius exponas *super pertica*, five *super columna altius emicante*, *ἰωτὸν μηλα* ut habent LXX. **כִּ** quatenus ex radicis virtute quicquid ad perpendicularium erigitur æque notare potest ac quicquid est *ἴωθας* (cf. omnino LXX. *Ezaj. II. 2.* & *Mich. IV. 1.*) utrique notioni reperiatur aptum. Serpentem Saraph hieroglyphicum emblemata eminentioris sacerdotii atque conjuncti cum eodem sublimioris doni Prophetici suis, non inepte & ex universo serpentis symbolico apud priscas gentes usu, & vero ex *Ezaj.*

VI. 2. (ubi MICHAELIS *Annot.* & *Diff.* de *Cherubis* consulti velim) conjiciatur. Saraphi igitur cuprei caput prominens adspexit cum ad fugandam veneni feralem vim valeret, de fide deinceps Mosi habenda opportune monebatur. Antiqua ergo auctoritate fatus Servator suam *exaltationem* cum ista *eretione* serpentis componit, in eaque similitudine perennaturae discipline sacræ divinitus acceptæ significationem vult cogitari *Joh.* III. 14. sq. Ubi Servator non sane *serpentem* ipsum in typi, se adumbrantis, ratione constituit *materialiter* spectatum. In *informali* potius hujus actionis suam exaltationem effigiari monet. Valuit quippe illa in primis, ad Mosis *וְאֶת-פָּנָים* statuminandam; universè igitur Jesus affirmat, forsan hac ipsa Davidica accommodatione subnixus, Deum similiter illustri quodam eventu sibi tranquillum potestatis usum assertum esse. Cf. HOR. APOLL. *Hierogl.* c. 1. & ibi CAUSSIN.

Cæterum prætermittere heic nequeo observationem CABELLI dictum illud Christi Cabballistæ cuiusdam R. JOSUÆ deliramento quidem, at bona traditionis fundum redolente, illustrantis. Notat ille ad *Pf.* LXXVII. 21, in verbo נַדְרָה deduxisti literam נ Cabballisticum signum esse vocis *suspensus*, eoque Psaltes innuere, in itinere per desertum Deum dedisse populo suo suspensum *pro capite*. Hoc scholæ placitum è traditione, per magistros semi-christianos, quales complures primo æræ Christianæ seculo Synagogæ habuerant, dedita haustum esse existimat vir doctissimus, hisque primam auditionem de similitudine Messiae cum serpente ad perticam suspensi ex colloquio Christi cum Nicodemo esse allatam. Dixerim ego potius, anteriore jam ævo ad structum a me hujus ultimi *Pf.* CX, incisi intellectum in magistrorum scholis personuisse, Cabballistamque adeo hoc ipsum voluisse, serpenti suspensum fuisse emblemata hieroglyphicum Mosis, & Davidem h. l. dicere quod versio nostra exhibit. Juvet sic melius non nihil ex nugarum voratore extraxisse.

Ast erunt qui posteriorum trium commatum exposi-

tione perfecta me minutam Coccejanæ & Langianæ sectæ diligenter amulari dicant, atque mirentur me non maluisse cum elegantioris gustus interpretibus in singulis harum imaginum adjunctis nil aliud videre quam poëticos cladis hostium & victoriae colores, mentemque vatis in hanc summam contrahere: Jehova Messia adversarios ultricibus judiciis persequetur, efficietque ut tandem tranquillo imperio sacro potiatur. Sed oblivisci mihi nonnunquam videntur æstheticarum virtutum in carminibus biblicis explanatores, se Poëtas interpretari qui, ceu egregie post GLASSIUM Philol. S. p. 1673. sqq. docuit LOWTH. *Prelect.* VI. VII. VIII. IX. plus aliis locales & ex patria historia ac religione de promtas imagines amant iisque immorantur. Hinc Prophetæ etiam passim res futuras tectius ita adumbrant, ut, simili quadam re præterita conmemorata, ejus imaginem per illa etiam adjuncta diducant, quæ minime erant ad rei futuræ veram conditionem describendam comparata. Hanc sermonis figuracionem *allegationem* vocat HOUBIGANT *Prolegom. in Scriptur.* S. Parif. 1753. 4to T. II. p. 312. & exemplis illustrat. Hujus moris inscius vel negligens si quis hanc tabulam eo pertinere contendat, ut vates Messiae auctoritatem densatis usque & usque stragibus, vel etiam falsorum doctorum omnis ævi Korachico fato, confirmatum iri præcinctat, ludibrium debeat nasutis.

Itaque monitos velim lectores, me faltem legis illius, quæ periochæ sententias ex antiquæ historiæ eventibus, imperii sacri vindicias confirmationemque habentibus, illustrare jubet, tenaciorem esse, facile autem concessurum in partes ejus, qui probabiliores & verbis aptiores accommodationes, aut si terminus Houbigantianus magis placet, *allegationes* attulerit. Sic v. g. non habeo equidem unde erroris manifestum teneam MENDELSONIUM, qui v. 6 stichum postremum de clade interpretatur, qua Deus in terra, Rabba metropolin habente, i. e. Ammonitica, Davidem contumeliose habitum ultus est, et si alienius regiæ majestatis vindicæ reliquis

reliquis sententiis meo sensu interseruntur. Posset suo itidem
jure aliis, inde profectus, quod ejusdem commatis stichus
prior ad poetas de Aegyptiis sumtas alludat, secundum & ter-
tium pro variatis descriptionibus Aegypti, primogenitorum
nece funestatae, habere, illi enim familiarum capita nata erant.
Posset & tertium ad duces referre, mari rubro, continentem
spatiosam tum preferente, merlo. Rursus, qui v. 7.
membrum prius ad incolumem Israëlitarum per mare rubrum
trajectum referat hoc sensu: erit (& olim) cum (quis) e
profuente ad viam (vel e vestigio, stehenden Fußes, est enim
proprie in calcatione) bibere posse, sat probabilia dic-
cat c), integrum porro habiturus postremum stichum vel ita
exponere: ultra stylobate altitudinem aggerabit capita (undis
hausta) vel: ita vero (vid. NOLD. ad קָרְבָּלָה) capiti (ut
olim Moysi) suum adiutuet suprematum; cf. מִזְבֵּחַ Esaj. LII.
13. vel: signi cuiusdam conspicui documento capiti &c. Pote-
rit aliis allusionem trahere ad principes populi, Moabitici sce-
leris reos, a Mose Dei iussu suspenso, Num. XXV. 4
Omnia hæc poetum faltem involucrum aliter atque aliter
informant, sensus nucleus sceptica caligine minime obvol-
vunt, sententiae contra summam exhibent eandem quam ele-
gantiores illi æsthetici, perinde ac ego, hinc extrahi volunt.
Mihi tamen æquilibrii in his אֲשֶׁר יְמִינְךָ præter cetera hæc, ma-
xime eximit consideratio, quod cum v. 7. prius incisum de
miraculosa potatione luculentius commemoret, posterius præ-
stringentiore cum veri specie trahatur ad alterum miraculum,
quo Mannæ coelitus præbitæ honos fuit in Mofen ceu men-
tium nutritorem reflexus. Unde rursus intelligitur, quare

c) Sic & a S.V. HERDERI contuit, qui defatigati victoris refocil-
lationem imagine Simsonis aridam fauorem recreantis pingi autu-
mat, eo maxime retrahor, quod ab Hierarchæ imagine solitus
in ferocienis & superbientis, e rudioris barbariei periodo, victoris
speciem evagatum sifat vatis animum.

Ezajas LIII. 11. ubi Messiae exaltationem describit, per *allegationem poetica*m dicat: *וְרֹאָה יִשְׁבַּע* (ita enim lego cum Alexandrino) potabit, satiabit. (prius verbum esse pro *וְרֹאָה* vidit jam SCHULTENS) quod nil aliud est quam: tanquam alter Moses suum suprematum miraculis videbit munitum d). Intelligitur quare *1 Cor. X. 3. 4.* βρῶμα & πόμα πνευματικόν (forsan Propheticæ disciplinæ initians seu manipans) jungantur. Intelligitur quare Jesus dicere amet fūx discipline sincera fide adjunctos verum Manna comedere *Joh. VI. 50.* &, per figuræ ampliationem, se integrum cum carne & sanguine comedī ab his qui doctrinæ sua ad novam vitam instaurantur *ibid. v. 53.* sqq.; quare *Joh. IV. 10.* aquam vivificantem a se præberi dicat. Quodsi igitur in penultimo inciso faltu Lyrico transvolata continetur cibationis per Mannam imago, si cibationis & potationis mansuetiores imagines, tranquillum potestatis exercitium denotare, & priorum v. 1. & 2. stichorum vim in geminare, atque sic odam in principis fententia ἀνημονεῖ claudere, ejusque adeo ambitum rotundare apte sunt, plus simplici profecto veritatis numero augetur hypothesis, quæ in præterito tempore efferuntur ad perduellium ævi Mosaici descriptionem referens.

IV. Dramatici odæ Schematis supra propoſiti confirmatio.

Lyricum drama esse Psalmum CX. argumenta mihi persuaserunt interna & externa, artificialia & inartificialia, quæ me monuerunt

d) Nisi ob ea quæ sequuntur, inferius explicanda, allegatio haec potius ad Salemicum sacerdotem Abramum cibo & vino reficientem pertineat, quod ex recepta Symbolicæ itidem a Prophetæ potuit ad institutionem Abrahamidarum trahi & sic ad Messiam accommodari.

I. Univerſe de alloquiorum diversitate, his maxime ſindiciſ:

1. Si cui etiam obſfirmatum fit per commata 2. 3. 4. omnia ſecundæ pereonæ ſing. adfixa ad Meſſiam ita referre, ut vates ipſe ſua Illi ſenſa expromat & prædicata cuncta in Illum ita conferat ut omnis abſit ſermonis figuratio, erit illi tamen, niſi pefſundare velit oda hypotyposin, fatendum, ſuffixum in יְמִינָךְ v. 5. compellationem ad personam a Meſſia di- versam fleſtere, quæ in hoc inaugurationis apparatu ad Je- hova ſinistra ſtationem habet, quæ igitur ſuas quacunque partes in hiſ ſolemnibus vel egit ipſa, vel cui decora & gau- dia ex hac nova imperii ſacri conſtitutione portendi per ratas poëticæ Theologiæ informationes decuit. Hęc enim formula, in oda quæ inaugurationis Meſſiæ ſenſibilem ſpeciem adum- brat, non debet in tropicam potentis tutaminiſ notionem ita eliquari, ut nil præterea ſignificari exiftimetur, ſuntque id- circo loca a Ven. HERDERO in hujs ſenſus præſidium allata ἀποδιύρυσα, quod nullam illa habeat ſimilem machinationem poëticam.

2. Jam qui hanc personam compellat, non inepte qui- dem & inveniūſe proſuſ vates ipſe ſumitur, maxime ubi ille prægressiſ ſenſibus in ejusdem pereonæ amplificatis orna- mentis jam defixus intelligatur; in hypothesi autem pereonæ alienæ v. 1. adſcite huic eidem non potest per veriſimilitudi- nis poëticæ accuſatioris leges commode tribui hoc alloquiuſ, ubi illa ſit ex zetate Moſaicuſ ævum antevertente; etenim noſtriſ in iſtam periochanu observationib⁹ planuſ fecimus. læta novi imperii ſacri vindicandi & fanciendi præſagia illu- ſtribuſ ejus ævi eventuſ pingi. Maxime autem vivida & actuosa erit poëticā compoſitio, ſi per affulgentes aliunde ra- tioneſ liceat compellationem pereonæ vel pereonis aliis, in ſcenæ & actionis partem venientibuſ, traſcribere, quæ jam habeant demum pereonæ compellatæ accinendi vices decentes.

3. Quodſi itaque proxime præcedens periocha com- memorationem habet juramenti divini, quod, ex Scriptoris 9th.

• eusdemque Theologæ Judaicæ purioris solertissimi interpretis, diferto testimonio, pertinuit ad fortunam personæ alicujus, in historia religionis celeberrimæ, fanciadam, quin illa ibidem in dramatico dialogismo inducatur loquens, parum dubitationis relinquitur.

4. Tollitur vero illa prope omnis, si probe expendantur commatis tertii imagines militares, mentio militiæ gregarie sub nomine famulitii, comparatio sobolis e matre libera cum ea quæ est e matre serva. Si deinde sat firma judicentur, quæ nostræ vocis **רְבָרָה** expositioni paravimus praefidia, absconia non videbitur dialogismi species hujusmodi, ut, cui persona v. 3. copiarum ex libera profapia augendarum & a sacris praefectis e) ducendarum spes facta est, eadem v. 4. variata pictura suam ipsa fortunam, colore ex memorabilis pristinae vitæ eventu deprompto, exponat, & *agnini meo*, dicat, præficietur Melchisedeci omnia ex ase adimplens pontifex.

5. Si v. 3. & 4. reciprocatos habent colloquentium sensus ex re præsente subnotos & congratulatione mutua expressos, congruerenter ad poëticam hanc machinationem judicetur, utriusque vocem jam antea sonuisse.

II. Nominatim Melchisedecum & Abrahamum loquendi vices habere, & horum sensibus ex inauguratione suscepitis fucclamare chorum Israëlitarum, Abrahami contubernio adscriptorum, (sive malis throni divini apparitorum secundi ordinis) oratione ad Abrahamum conversa, id vero quibus vestigiis deprehendisse mihi visus sim, supereft ut doceam.

1. Ac primum quidem utramque Patriarchalis ævi personam scenæ locum & actiones partes deposcere, probabilibus & assensum præparantibus argumentis colligitur hisce:

1) Cum Psalmus novum supremum religionis magisterium celebret, amentque & alias poëtæ facri, uti superius observatum, ex historia faera imagines petere easque per

e) Sive sacerdotali imperatore; utriusque enim interpretationis nostra hypothesis patiens est.

extantiora adjuncta expicas presenti rei objecta simili explicande adhibere, Patriarchalis autem religionis magisterium penes Abrahamum, & postquam is sacro fœdere Melchisedeco se suumque discipulatum junxit, penes hunc potiore titulo fuerit, vix alias profecto historia monstrabit personas, propiore quam hi duumviri cum auspicante Hierocratiam æternam pontifice necessitudine sacra conjunctas. Hæ igitur, cum præfertim nomine tenus comæmoretur Salemius sacerdos, quin menti Poëtae cum illustrioribus vitæ actibus observatae sint, nemo temere dubitabit. Quapropter, etiamsi deferenda mihi esset mea de dramatica collocutione hypothesis, vix tamen mihi apparitura esset luculentior ratio odæ sensu & imagines illustrandi præter horum religionis veræ in Palæstina statorum historiam. Tenendam mihi usque putarem eam de qua supra dixi figurenationem. Pro eo quod recta locutione fuerat: Tu Messia longissime & ad barbaros usque pretendes imperium sacram, tu inimicos vinces & tunc disciplinæ tuæ & sacerdotalium munium perenni fructu poteris: hoc omne Poëtam ita exequentem conciperem, ut ex Melchisedeei adjunctis Zionis & buculi pontificalis mentionem f), ex Abrahamo propriis militarenz omnem apparatus adspergat, juratoriamque promissionem divinitus eidem Patriarchæ factam jam cumulatissime exsolví dicat.

2) Memorantur apud Abenescram Judæorum magistri qui per Dominum inauguratū Abrahamum intelligunt, cui v. i.

f) נְאַתָּר מִזְבֵּחַ de baculo, sacerdotii insigni, intelligere jam olim adeo fuit in promptu, ut inter recutitos interpretes Midraschicos illi etiam, qui v. 2. sensu proximo ad Davidem, sublimiore autem ad Messiam retulerunt, hanc imaginem non dimitterent ex oculis. Appono locum ex Bammidbar Rabba XVIII. f. citatum WETSTENIO ad Matth. XXII. Baculus Aaronis fuit in manu omnium & singulorum regum, donec vaharetur domus sanctuarii, tunc occultatus est, & eadem virga erit in manu regis Messie, cito in diebus nostris. S. D. Ps. CX.

acclamarit velut Epinicum servus Eleazar, alii, qui eadem votiva acclamatione Melchisedeci decus celebrari volunt a quatuor regum debellatione reversi. Raschi & Abrahamum & Davide alternatis alloquis magnificari sumit, imaginum sine dubio heterogenea specie adactus. Prodiderunt hi quidem, dimisso ex oculis Messia, aciem ad verum conspectum hebetatam, at eosdem tamen non coeca prorsus libidine in fingendis personis grassatos esse, sed e disjectis veri ruderibus suas hypotheses confarcinasse liquet. Supersunt interim apud Talmudicos & Midraschicos doctores melioris interpretationis, Messiae in Psalmi apparatu principes partes adsignantis, utut figuramentis contaminatae, vestigia. Sic in Cod. Sahedr. f. 108, 2 referente WETSTENIO ad Matth. XXII. 44. hæc leguntur: Deus S. B. collocabit Regem Messiam ad dextram suam Ps. CX. & Abramum ad sinistram suam. Et facies ejus pallescere & dicebat: Filius filii mei (scil. Davidis) sedet ad dextram, & ego ad sinistram. Et Deus S. B. placavit ipsum dicens: Filius filii tui ad dextram tuam, at ego ad dextram tuam, Midrasch Tillin in Ps. CX. Dicit S. B. Ille sedet & ego faciam bellum (scil. pro Abrahamo) ideo & sedet (scil. Messias) super illo in veritate (i. e. in religionis disciplina). Quæ ex distorta dramatica Psalmi specie esse nemo non intelligit.

3) Abrahamum non supra suæ personæ captum in solenibus noyi suprematus religiosi auspiciis poëtice descriptis a sinistra Jehovæ locari, & sui discipulatus copiosissima augmenta ex pontificali Messiae fastigio præfigire, anticipato jam judicio adsentietur qui meminerit,

a. Patriarcham hunc honorifico *amicus Dei* elogio mactari Jac. II. 23. Unde & Ps. CXLVIII. 14. Israélitæ vocantur יְהוָה populus propinquus ejus (Jehovæ), quam formulæ sententiam egregie adstruxit & ad Abrahamum hunc nominis honorem pertinere probavit Cel. SCHNURER *Animadu. ad qued. loca Psalmor. Fascic. II. p. 26. sq.* Signatus de situ

contiguo vocem hanc surpari exemplis probare non opus est de contubernio arctiore legitur Job. XIX. 14. ubi קְרַבֵּי sunt in parallelismo cum מִרְעָשׂ intimoris admissionis amicis, quæ observatio cum iis quæ de מִרְעָה p. 20. & 58. annotavi velim conferatur.

b. Eudem, cum pater (i. e. disciplinitate sacre statutorum) utrumque credentium clueat Rom. IV. 11. 12. non abs re per antiquissimas Theologiae Iraëlitice eterne in beatis sedibus simili ad utrumque genus circumcisorum & præputiorum habitu fuisse induitum, ut, qui fidei Abrahamicæ æmuli ex illis essent, in ejus sinum, i. e. propius contubernium colligi, ex his autem, in ejus familiam cooptari existimarentur. Unde Judeorum de profelytis eorumque nova per baptismum nativitate & vero fundo fabulosa Theologia, proprie accipiens poëticas adumbrationes, unde & Christianæ Theologiae plus una corruptela.

4) Melchisedeci personæ convenientes esse cum præconis int' novi pontificatus auspiciis partes, tum congratulationem ipsius pontificatus & Stonitico cœtui, propter Abrahamicæ familie incrementa, factam, ultro largietur qui

a. poëticas Apocalypses machinationes I. 4. 10. II. 7. 11. 17. 29. III. 6. IV. 2. revocat in memoriam, ubi divina ad Ecclesias mandata pariter ac coeli mirabilium interpretationes per πνεύματα caduceatores propalantur, qui facerdotum chorus præsunt. Haud igitur aptior alia in festivo odore nostræ apparatu persona præconis partibus agendis quam antiquissimus publicus puriorum sacrorum fæter, Abrahamo idem magister & Symmystes religionis a virtute animum generosæ honestate imbuendi laudat, Paulo gravissimo teste Gal. III. 15 — 22. per Mosaicæ legis periodum usque vigentis, per Christianismum autem consummatæ.

b. Ad hunc igitur Salemici cœtus, Patriarchalis cultus simplicitate incliti, antistitem ubi aggreganda dicitur a Paulo Gal. IV. 21. fqq. Abrahami aucta e libera conjugé proge-

nies g), non is Christianæ Ecclesiæ auctus insigniores e gentilibus expectandos accommodatio vel allegoria expingere censendus erit, cuius nulla in priscis vaticiniis delineatio extitit, sed quam ista forsan ætate in promtu fuit in Psalmi nostri v. 3. inciso postremo tanquam in suo fundo videre. Quanquam enim Apostolus videri posset v. 27. *Esaïam* LIV. 1. allegoriae suæ primum auctorem laudare, ubi Prophetæ sterilem conjugem gaudiis indulgere jubet, eique præ pellice tori conforte sobolem lœtiæ efflorescentem portendit, tamen verius illum dixeris recte a se intellecti מִשְׁרָךְ מִשְׁרָךְ רְכַב fidejusforem quasi Prophetam advocare, atque pellicis designationem, antonomasticam in Psalmo, proprio nomine efferre. Neque enim a me impetro, ut S. V. KOPPIO assentiar, qui & Apostolum negat Prophetam de Sara & Hagare intellectum voluisse, & in ipso Prophetæ contextu universæ feminam quamlibet a marito neglectam & pellicibus posthabitum describi contendit. Cap. enim præc. LIH. v. 10. sqq. ubi Messia exaltatio ejusque Ecclesia gentium adoptione amplificanda canitur, v. 10. Messias capitis ultro in piaculum devoti hanc laturus dicitur mercedem, ut ad eundem modum quo Abramus post expromtam filii immolandi voluntatem, divinæ promissionis de sobole libera per ipsum perennatura nova & firmissima teneat pignora; v. 11. autem Messias dicitur, (ut mihi quidem per hanc Abrahamicæ familie proximam *allegationem* probabile sit) simili quidem at ampliore modo ac

Salemicus

g) Quam quidem sententiam dicto Gal. IV. 26. ἡ ἀρχὴ τοῦ καταβαττοῦ (Antiqua Salem) ἐξι μήτρη πατέρων μήτρα III. MICHAELIS in *Annot. ad h. l.* & in *peculiari Difser.* nec non in *Pref. ad Theol. Typ.* rationibus adstruxit quas nondum vidi convictas. Scilicet viri docti difficultatibus nonnullis parum fuisse commoti, si in Davidico vaticinio ipsis apparuisset filiorum Abrahami libera & servilis fortis collatio, & subiuncta eidem proxime divina sanctio de ingenuo illo agmine verissimi nominis Melchisedeco subjiciendo.

Salemicus sacerdos (צָרִיךְ עַבְרִי) ingentem multitudinem meliore disciplina beatus (צָרִיךְ בְּרַשְׁתִּי) eorumque peccata piaturus. Qui jam post ita concepta præfagia gratulabunda voce sterilem compellat, ejusque præ pellice fortunam conjugalem laudat vates, is non potuit non in Sara & Hagaris cogitatione hæsisse.

s) Choro denique tribus posterioribus commatibus adsignare partes hos antiquæ Hierarchiæ administratos duumviro interpellandi, sive sermone continuo, sive alternationibus ita distinctis, ut alia pars præterita, alia futura commemoret, id vero suaderet.

a. Analogia Psalmorum actuosorem ὑποτύπων habentium & in medias res rapientium, potissimum *Ps. II.* itidem auspicalis, de quo in Proœmio dixi. Cujusmodi complures sagaci judicio Chori epiphonemate, alibi simplici, alibi difuso, finitos sicut *MENDELSONN*. Cf. v. g. 14. 20. 33. 53. 68. 84. 89. 118. 131. In his igitur vel in brevem summam hymni argumentum a succlamantibus contrahitur, vel princeps imago sensuive exsuperans strictim recolitur, vel de officio monentur quorum interest ea imagine aut affectione animum habere penitus perculsum, bonorum in divinis promissis reposita fiducia incenditur, malis ultiōnis divinæ metus incutitur, civilis & sacræ constitutionis felicitas extollitur, prorius ut ex Davidicarum odarum more Venusinum Poëtatum magistrum choro legem scripsisse dixeris:

bonis faveatque & consilietur amicis.

laudet salubrem

Justitiam legesque & apertis otia portis

oret

Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Art. Poët. v. 196. sqq.

b. Quam conveniens his chori munis ipsum sermonis argumentum sit, facile deprehendet qui nostras elucidationes expendit, frigusque simul sentiet, si juxta ponat hypothesis

K

allocutionem sive Poëtae sive inductæ cuiquam alii personæ tribuentium, eamque ita informantum: tu Jehova! ille Adonai, quem a dextra habes, (i. e. Messias) reges excedit &c. Enimvero hæc ratio præter liquidam & difertam Theocraticæ gubernationis analogiam ultricia Abrahamici & Mosaicæ æque ac Christiani ævi in imperii sacri perturbatores judicia promiscue ad Messiam sive principem auctorem sive executorem refert. Ac nescio annon ejus defensores dicam, per studium vehementius Messiae nomen augustius afferendi, fanaticis de bellorum sacrorum iustitia, successu vel præfigio judicis speciosam causam subministrare. Neque enim novi fœderis tabulis præeuntibus nobis integrum tutumve est aliam intercessionem bellica vi peractam definite & affeverate ad judiciales actus referre, qui imperio, humanae Servatoris naturæ exaltatae delegato, proprii eique fanciendo vindicandoque destinati sunt, præter reip. Judaicæ πανολεθγια sub Vespasiano & Hadriano, armis quippe effectam miraculoſo Numinis interventu vietricibus, &, ob liquidam Christi prædictionem, indubie Ejus causam ulciscientibus. Hæc vero ultio eadem est luculentissimæ vindictæ a Jesu Messia in consummatione seculi sumendæ figura & tessera. Quicquid præterea severius in religionis indubios hostes divina consuluit providentia, in eo δευδικίᾳ efficiens viguit eatenus, quatenus divinos omnes actus participat, eosque adeo præcipuo quodam jure, qui ad imperii sacri, suis sigillis jam muniti, constantem administracionem perpetuasque vindicias pertinent. Nec diffiteor, meam hujus periodæ explicationem ea quoque mihi dote commendari, quod carmini sic detergitur, saltem hermeneutico jure pleno exuitur Messiae crania elidentis, cadavera stipantis imago, Lyricæ figuræ audentia difficulter mollienda si quidem constantis habitus adjungatur cogitatio, phantasæ incœtae facile obrepens. Circa Pf. II. 9. ad complementa applicacionem similis cautio est. Illa quippe periodæ & ipsa per se in hanc mentem restringitur: Exunt inter populos, qui,

ubi praefacta contumacia perrexerint vel primæ tui regni in orbem introductioni repugula objicere, ad tuum nutum internectioni devoveantur. An futurum sit ut in plures populos conveniat comminationis conditio, & quid a vindice Numinis iustitia flagitaturus sit rex inauguratus? id vero oraculum in medio relinquit. Juvet hoc observasse ad emperiorum inscitiam retundendam, qui apparentem ejusmodi effatorum truculentiam eo trahere amant, ut intolerantium fœnitiam e nativis religioni Mosaicæ æque ac Christianæ sensibus concipi credatur.

c. Simul ac concessum est Poëtam Abrahamicum discipulatum sub agminis, sacerdotis novi signa sequentis, specie adumbrare, nil credibilius habebitur quam chororum Israëlitarum, sive sacerdotalis sive gregarii ordinis, in Patriarchæ contubernium conscriptorum ab eodem induci, eundemque, si Mosaii ævi miraculorum recordationem habuit, ea commemorare quæ maxime fuere Mosis imperio sacro stabiliendo.

2. Luculentioribus jam indiciis has probabilitates age fulciamus preffus.

1) Si prope exploratam fidem est, Abrahamum in inaugurationis apparatu Jehovæ ad sinistram præsto esse, vel saltē tribus postremis commatibus a quacunque demum persona inducta compellari h), una concessa personæ cum altera tanquam prælente loquentis fictione, multis continuo partibus decrescit probabilitas, personam compellatam mutam fuisse antea, accrescunt contra veritatis numeri hypothesi, quæ sumit ejus proxime præcedenti sermoni v. 4. reponi. Habeo

h) Possem enim, absque caussæ detimento liberalior esse & **לִמְנָן** exponi: *tue dextre virtute*, ad stipulari (cf. NOLD. p. 398. & 404.) ne sensu, qui Rabbinismum delicioribus palatis sapiat, repudiato, corrure videantur reliqua omnia tanquam ab hoc aranea filo suspenfa. Sic enim erit mihi v. 3. compositionis dramatica informandæ basis, & vel sic tenebo Abrahæ in hac scena, in quoconque situ, prope Numinis sedem præsentiam.

autem, qui huic probabilitati non parum addat incrementi, ac prope extra dubitationem ponat, Abrahamum in isto commate dramaticas habere loquendi vices, locum *Hebr. VI.* 15 – fin. Ibi enim Scriptor post longius prefamen a v. 1. – 15. graviter monens, quanti momenti sint proponenda de Melchisedeco θεολογία, & quam pervia esse debeant his qui *Pf. CX.* cum *Genes. XIV.* rite conferre didicerunt, ipsam jam institutionem ingressurus totam ratiocinationis seriem ita necit, ut illa profus distractetur, nisi ex hoc sumto intelligatur profecta, in juramento divino *Pf. CX.* 4. commemo-rato Abrahami & ejus fidei æmulatorum rem actam esse. Etenim exquisitiōrem suam de Melchisedeco præceptionem Scriptor v. 12. coll. V. 11. diserte eo vult pertinere, ut ad reconditoris discipline sacræ intelligentiam acuantur Hebrai sui, æmulenturque hos qui perseverantis fidei virtute Abrahamicarum promissionum (ιωάννης enim cum hac emphatica connotatione omnino hic intelligendæ) fructu sunt potiti. Rursus v. 18. 19. 20. perspicue docet, Abrahamicas promissiones juramento sanctitas spei προεμένην (i. e. quæ prospectum in futuras divinas dispensationes regat) fundamentum præbere, (sive malis: fidei jam porro exercenda commonefactionem eas habere) eamque spem seu fidem, ancoræ more, quæ tenaci dente in continentis interiora immisso naves fundat, prospectare intra velum i), & in illud adeo adytum

i) Hæc ancora intra velum procurrens liquido ostendit, Scriptoris consilium in tota hac periocha non huc unice intentum esse, ut, quod Deus jurato sanciti novi pontificatus immota firmitas stat, ex fundamento suo historico intelligentium esse doceat, submoneatque *Hebreos*, stabilem disciplinam sacram Abrahamicam per omne Mosaicæ œconomie tempus fuisse (cf. *Gal. III. 17.*) jurato quippe Dei feedere, Melchisedeco sequestro, nimam, atque idcirco abhinc semper consentaneum fuisse, ut ne, qui genuini Abrahamicæ esse vellent Israëlitæ, intemperantiore rituum Mosaicorum & Aaronici fæcerdotii studio impedirentur, quo

quo Melchisedecianæ formulæ sacerdos intravit; i. e. in coœlum, ubi igitur similem sedis honorem habet eminentior Abrahamidarum πρεσβυτος, in simili Numinis juratum foedus panegyritis solennitate, in poëtico Psalmi apparatu acta, Abrahamici discipulatus antifites proclamatus (προσαρχοντικ). Jam equis, queso, est qui adsentiri renuat 1. ex mente Scriptoris jumentum divinum in Psalmo nostro interpretative commemorari, ita quidem ut persona loquens ipsi intelligeretur edictum v. 1. vel tanquam promissionis Abrahamo Gen. XXII. 17. asseveratus factæ virtualem iterationem & confirmationem recolere, mente his fere sensibus pertentata: jam resoluuit utique præcipua vis juramenti, Abrahamico μακαροψυχη additi, in voce divina quæ dicebat: *tu es in perpetuum Sacerdos k)*: jam isti voci denuo mihi, at pregnantiore sensu, recinere videor: *sis meo agnini Melchisedecus*; vel ut persona loquens ipsi novæ promulgationis partibus defungi judicaretur, quæ novum pontificatum circumscriptius eo valitulum sciscat, ut Abrahamidarum satu numerosiore civitas sacra antiqua amplificetur; hoc sensu: *jurato en confirmat Jehova irrevocabile decretum, tu, inquiens, es tu . . . discipulatus meo Melchisedeci pleno omni p[ro]futurus.* 2. Nil magis ad eandem Scriptoris mentem quadrare quam nostram vocis דבָרֶת grammaticam anacrisit, quæ sane notionum κληρούμων της ἰσταθλίας VI. 17. αἰώνια λυγόστοις, αἰώνια κληρομένα, μελλόντας ἀγαθῶν c. IX. (vid. supra) æquipollentiam facile persuadet, atque simul parallelismus τῷ לְשׁוֹם & על דברת insinuat. 3. Cum idem scriptor VI. 17. Deum

minus ex illa disciplina religionis internæ vim ac indolem fusciperent; jam vero ultra eundum, &, postquam celeste adyutum occupavit Jesus, atque poëtica Ps. CX. machinationis plena veritas est exhibita, eo jam esse fidei oculos convertendos, terrestrisque sanctuariori venerationem paulatim abdicandam penitus.
k) Hic enim stichus in hac hypothesi foret ipsum illud: *Sede ad dextram meam per exergiam novam variatum.*

dicit hæredibus promissionis decreti sui immotam constantiam ex abundanti declarare voluisse interposito jurejurando, eandem urgeri Abrahamidarum cum constituto novo Pontifice necessitudinem sacram. 4. Si, quod non extra omnem fidem esset, traditione historica vel alii monumentis, veluti carmine quodam antiquo Patriarchalia gelta celebrante, proditum olim fuisse *l*), Abrahamus peculiari actu, vel ante vel post expeditionem Canaanam, Salemicæ disciplinæ fuisse ad dictum, atque victoriæ referenda hinc tulisse pignora, proclivior etiam foret modo proposita hujus commatis informatio, atque ECUMENIUS nec a contextu nec a verborum vi abluderet post CHRYSOSTOMUM Hebr. VI. 17. μετέτενεν ὅρῳ ita enarrans, ut pellueat antiquioris interpretationis fundus, quæ hac formula innui sumfit, mediatore quodam inter Deum & Abrahamus sanctam fuisse, graviore itidem asseveratione addita, ejusmodi initiationem Abrahami, & hoc pignore novo instauratam promissionem multiplicandæ sobolis & beendarum per ejus prosapiam gentium *m*). 5. Cui quidem interpretationi consequens foret, ut δύο πρόγυμνα διηγήσεται non sint promissio & sacramenta religio, sed duo actus pactorum immotam firmitatem adstituentes, i. e. duo juramenta *n*), quorum posterius in memoriam revocans in Psalmo inducatur Abrahamus, nunc, inquiens, denuo mihi quasi a Jehova jurato

l) Psalmi passim historiam sacram ex ejusmodi fontibus supplet. v. g. CIV. 4. 7. 8. CV. 15. 24.

m) Μετέτενεν illi accipiunt pro καθίστανται μετίτην. Metitēn posse hic idem esse ac ἀπεξεῖδει colligitur ex VII. 22. soll. IX. 15. XII. 24. Cum his si rursus componas IX. 12. 18. 26. videbis novæ religionis formæ μετίτην notionem in pontificis summæ rei divine praefecti notionem resolvi posse.

n) Jungit πρόγυμνα τούτα διλέγοσθαι ARISTOPHANES Nub. 472. actus forenes & utrinque præfita juramenta. HESYCHIUS enim & HARPOCRATION ἀντιρρεῖν explicant per διηγήσεις. Si itaque per δύο exponas actus ultro citroque juratos, coincidet sere formula cum πρόγυμνοις διηγήσεις.

pacto sacerdos constituitur (at in omne ævum) agmini meo
 (at immensum quantum augendo, per v. præc.) præfuturus
 Melchisedecus (at plenissimo omine iustitiae rex). 6. Eadem
 porro hypothesi consentaneum esset Hebr. VI. 18. *τίνα . . .*
ἰχνίαν παράκλησιν ἔχομεν οἱ καταφύγοντες κρατήσει τῆς προστηλῆς ἐ-
πιδός cum signatione ad Abrahamicam historiam respectu sic
 intelligere: *ut animos teneamus firmo solatio erectos* (nobis
 scilicet extiore jam omine adesse Pontificem averruncum & tu-
 telarem angelum, qualis olim Abrahamicæ militiae Melchise-
 decus fuit) *nos qui* (& ipsi ad turme nostræ signa) *nos reci-*
piimus viætoria nostra spei proposita potituri o. 7. Non id igitur
 Chrysostomo atque Oecumenio assentior ut diserte &
 explicite in pacto Abrahamicō Messiam ex mente Scriptoris
 ad Hebr. sequestrum constitutum esse existimem, sed, cum
 idem Scriptor similitudinem Melchisedeci cum Messia ad emi-
 nentiorum quoque attributorum figuratam communionem ex-
 tendat, ita quidem ut ille VII. 3. dicatur *μέτων ἱερὸς εἰς τὸ*
δυνατεῖς & v. 16. habere *ζῶντας αὐτοὺς*, quatenus historia de
 ortu & obitu ejus filiet; id eo valere potest, ut, cum ex ju-
 rata sanctione Numinis Salemicus pontifex Abrahamicæ disci-
 plinæ præfesse, imperique adeo sacri, circumcisos & incircum-
 cisos æquato jure complexi, umbram exhibere inciperet, ipse
 Messias *virtualiter* censeretur *μετών* agere Abrahamidarum.

2) Jam, si Abrahamo & Abrahamicæ promissionis hæ-
 redibus Ps. nostri v. 4. juratum esse per omnem memoratam
 Ep. ad Hebr. periocham intelligendi modum elucescit, ejus-
 dem etiam voce juramentum proferri indubie constabit, ubi
 ad liquidum perduci poterit, suffixum primæ personæ in

o) Sic nova aliqua lux affunderetur sensui, quem verba בְּרוּ מִנִּי
 Psalmi nostri v. 5. sustinere posse supra sterebamus. Distorsisse vi-
 dentur hanc Pontificis averrunci, sequestri, intercessori, tutelaris
 adeo divini legati, notionem ex sanoire traditione captatam illi e
 Rabbini qui, referente CALOVIO Bibl. Illuſtr. T. I. p. 1088, in
 hoc Psalmo angelum custodem Davidis magnificari voluerunt.

רְבָרָה commodissime & per antecedentium sequentiumque
 συνάριτος & per poëticæ διαταύτως vim & concinnitatem ad
 eundem Patriarham loquentem referri. Nostræ in illam vo-
 cem observations in bivii, quin trivii ambiguitate lectorem
 reliquerunt. Nunc figenda itineris plaga. Mihi quidem ha-
 sitans pes in hanc viam his argumentis est converlus.

a. Formulae על רברת̄ ille sensus qui dat: *id est*, pro-
 uti jam subinnuimus, parallelismus detergit, & a poëticæ
 dictionis vi alienius est formulam dicta sua interpretantis in-
 terjicere, ibi maxime, ubi quod explicandi cauſa additur pro
 antonomastica habetur præcedentis designatione. Opportu-
 nius enim qui proprium pro communi posuerat subiectum suum
hoc est. Attamen nostræ hypothesi propitia magis quam inimica
 esset ista formulæ acceptio. Probabilius enim Abrahamo, in
 caræ necessitudinis sacræ repetentiam excitato, tribuitur stu-
 dium expromtum significandi: nunc sacerdotem esse alterum
 Melchisedecum.

b. Qui igitur sensum dantem: *agmini meo*: admittunt,
 in aincipiti autem adhuc sunt, sitne pronomen ad Jehovam,
 cuius vox secundo commatis inciso sonuit, an ad Abrahamum
 referendum? hos ego

a. Ad occupatam jam a me observationem reflecto,
 admodum credibile esse, cum nulla alia vatum divinorum
 voce proditum sit. Messiam juramento pontificatiu inaugura-
 tum esse, proclamationem heic Jehovæ tributam pro inter-
 pretativa repetitione edicti v. i. esse habendam. Quodsi sti-
 chus prior exponatur: *jam jurat*, tamen & Jehova ipse cen-
 seri debet nil novi sancire, sed promissum ipsum v. i., variato
 eloquio iterare, asseveratione jam in sacramento vim muni-
 tum, & persona loquens, incolumi decoro, suam addere
 potuit interpretationem a privo ipsi affectu suggestam. Qui
 quidem si verus habeatur alteruter poëticæ διαταύτως con-
 spectus, hoc jam porro velim expendi. Cum proprie verba:
tu es tu sacerdos in eternum non nisi priori v. i. inciso: tu
sedes

sedeto ad dextram meam resonent, per se jam expectare in proclivi est, ut verba: agmini meo Melchisedecus: irodvrapla quaecunque cum altero v. 1. inciso tueantur, quod superandos inimicos praesagit. Quidni igitur per saltum Lyricum, quem aesthetici in oda tantopere laudare solent, transvolari potuerint haec sententiae: iterendi tibi erunt hostes; perinde ac olim Melchisedeco, te auspice militabit exercitus; in Palestinae campis signa moverunt Abrahami cohortes, sacre simul disciplinæ nutritii; mei hostes erant iidem qui & Salemici sacerdotis, sic & tui mihi infesti sunt, meique tibi; & nunc demum eximia cum servituti erumperet Abrahami interpretativa vox: agmini meo praeeris augustior auspiciationeque Melchisedecus? Enimvero & per totam reliquam odam sententias ita videnuis ad normam edicti, tanquam directricis idæ, nexus, ut stabiliti pontificatus, & hostium militiaque illos debbellaturæ, imagines alternatim se excipient, simulque ex evolutionis lege quælibet aliquam adjunctionem tabulae adspergat. Sic v. 2. post bacul protensionem e Zione, habet dominatum in mediis hostibus, v. 3. militiam duci vel ducibus pontificali amictu conspicuis parentem, v. 5. 6. bella domini militata in exemplis posita excipiuntur v. 7. magisterii sacri supremi confirmati pignoribus historicis. Num igitur v. 4. solus esset hoc duplicato cogitationis flexu carens? At, inquis, Jehova nihilo fecius ipse, continuata stichi secundi voce, suum commemorare potuit agmen, cui Salemico sacerdoti similem nunc dederit praefectum. Hanc fluctuationem eximi puto, si perpendatur

¶. Per eandem *amulectas* membrorum in oda nostra legem, anticipata opinione vacuum quemque huc inclinari, ut, cum v. 1. inciso secundo inaugurus pontifex hostes suos dicatur Jehova auspice victurus, exercituque adeo stipandus, versus autem tertius in hujus exercitus descriptionem sub emblemate Abrahamici agminis, sacerdotali auspicio ducti, excurrat, parum ad hanc picturæ poeticae analogiam congruere

L

judicet, si Jehova suo agmini hac prefectura de felici expeditione prospiciens inducatur. Omnia contra in vado sunt, & poëticum πέπενον usqueaque servatur, si, cuius v. 3. laudatus fuerat militaris apparatus, novo imperatore mire exsplendescens, is jam post commemoratam juratam imperii facri sanctionem, exquisitiore quodam laudem laude penfandi artificio, alterum Melchisedecum fore dicat agminis suu ductorem.

2. Si cui denique scrupulus inde injiciatur, quod *Hebr. VII. 21.* Iesu dicatur cum juramento constitutus sacerdos σὺν τῷ λέγοντι πρὸς αὐτὸν ὅμοιος καὶ τὸ λόγον atque inde nos potestate planissime excludi existimet, ad alium quam Messiam compellationem in poëtico schemate trahendi, is parum memor est

N. λέγειν πρὸς τηνα esse dicere de aliquo, quod in ali quem conveniat. *Hebr. I. 7. 8. 13. IV. 13.* Jam vero quæ Melchisedeco reponuntur in Messiam dicta sunt.

D. σὺν τῷ λέγοντι per insignem πολυτιμοσιαν præpositionis inter alia esse posse: *jam etate ejus qui dicit in ipsum.* Hac vero phrasí uti posset signatissime qui nostra imbutus esset hypothesi, maxime in hac disjunctione cum Aaronicis sacerdotibus, qui mortalibus usque & usque succedentes, jurata sanctione nulla pontificatum censemtent adepti, & a brevi tempore in hoc fastigio sunt locati.

3. Quodsi simplicius, ut & mihi persuasum est, διάλογον, ex mente Scriptoris, intelligitur Psaltes, per quem sci licet διώρυξ est prolata, fecutus ille est nimurum solutiorem citandi modum, de quo supra.

3) Comma tertium continere quod prænotatio nostra signat, liquidissime jam arguitur si v. 4. agmen ab Abrahamo tanquam suum memorari præstructum est, & propria copiis, in Palestina Sodomæ regi suppeditas ferentibus, adjuncta, nec non Salemici regis in ea victoria partes, in hac συναρχίᾳ penitulatius recolantur, iisque adjungatur argumentorum exter-

norum, quae adduximus, pondus. Quæ quidem conjunctio illi Abramum hic gratulabunda voce compellandi indubie hic vindicat partes. Nec est quod quis arbitriariam & hypothesi servientem punctuationem & lubrico loco stantia philologemata hunc conspectum unice fulcire invidiosius dicat. Præterquam enim quod vetus jam interpres, cui de dramatico schemate nil forsitan subcluit, τελευτὴν legit, annotationes meæ insuper ostendunt, eundem conspectum cum aliis quoque hanc vocem legendi modis conciliari. Quin & rorem famulitii sive juventutis, rore aurora nato copiosiorem, suo poteram relinquere loco, nihilo secius & Esajam & Paulum habiturus suffragatorem: uterque enim universe faltem civitatis divinioris auctus cum Abramicorum hæredum ex Isaaco multiplicatione componens, ubi cum antiquiore vaticinio adeo in hanc imaginum collationem deprehenditur conspirare, illud non extra oculi contuitum habuisse rectissime judicatur.

4) Comma 1. & 2. ita dispertitas habere proclamationis vices uti prænotavi, non habeo equidem evidenter aliquod & assensum vel invitissimo extorquens τελευτὴν quo confirmem. Quid scenam, sicuti adhuc demonstratum est, instruam, magis minusve deceat? sensus arbitretur lectorum, qui semel conesserunt, progredientem actionem Lyricam in oda devolvi, & adhuc explicatas collocutiones in congratulationibus reciprocatis ab incitationi affectu effundi; qui igitur & ipse incitationis hujus causas probabiliores habet, si collatorum v. 3. & 4. vox jam ante sonuit. Quodsi tamen sensus judicium ratione aliqua cupias substructum, videamus quo porro valere possit

a. Inartificiale quidem in se, quippe ex testimonio Θεοφραστοῦ, at ratiocinio tamen evolvendum argumentum supra ex *Hebr. VI.* ductum. Si bene ibi ad calculos sedimus, cum exinde intelligere nobis videremur, non tantum Abramum ad juramentum divinum *sibi* factum provocare, sed juratam, qua exultat, promissionem contineri interpretative

ipso edito v. i. repetitumque porro ab Abrahamo perhiberi juratum illud pactum quo Deus ~~euostwos~~; jam ita licebit inferre: Illa Abrahami in Salemicum fæcerdotium initatio *vel* ita facta est ut Jehova proprie & literaliter per angelum, fuarum in Patriarchali ævo dispensationum administrum, medium teneret locum, Melchisedecus a dextra, Abrahamus a sinistra staret; *vel* ut simpliciter in aliqua apparitione spectabiliore, in qua tamen Salemicorum færorum antistes ~~mgē~~
~~gē~~ effet Abrahami, foederi divino cum Patriarcha, per juratum foedus cum fæcrodote, nova vis adjungeretur. Utrovis modo potuit antiquius aliquod carmen illustrem hunc eventum poëtice ita exequi, ut, *primum* edito quodam, a divino legato promulgato, ~~iusin~~; ille juberetur a dextra Numinis stare, addito fausto augorio, fore dehinc, ut quicquid sit in Palæstina & confiniis barbarorum, profanis cultibus deditorum, Abrahamo infestorum, compescatur; *deinde* Abrahamus, ad sinistram stans, huic inaugurate Pontifici votiva acclamatione homagium quasi pœfaret, ex profanorum attrita & proculata potestate imperium sacrum amplum & tranquillum ipsi portendens. Jam cum novam Messiæ inaugurationem a Davide Spir. S. vellet poëtice exponi, quidni consentaneum sit existimare, Eum ad vetustum ejusmodi exemplar illustriore secnam, in coelesti regione apertam, mutatis mutandis adornari curasse? ita quidem ut jam Melchisedecus, coelicola, dextræ divinæ statione Messiæ ibi sessuro, longe augustiori ~~pœfēdō~~, cedens, hujus catastrophes ipse pœco effet; Abrahamus voce simili ac quæ in pristina scena fonuerat, ad splendidius tamen argumentum attemperata, succlamaret Sic sane congruenter ad regnantem in Ep. ad Hebr. descriptionem pontificatus Melchisedeciani, perennaturi, non nisi successore Messia antiquandi, *iv dñiāpē* tamen, & ob typicam conjunctionem, in nova quoque œconomia, juxta cum Abrahami heredum leuiore cœtu, continuandi, Psalmi scena instrueretur, & ad eam accommodatissime per consequens Melchisedecus ipse,

in hoc actu princeps πνεῦμα λειτουργοῦν, caduceatorem egisse censeretur.

Jam si ad similem antiquorem scenam historicam conformata est hæc poëtica, excluditur statim v. 2. Melchisèdecus a partibus continuati & ad Messiam directi sermonis. Eum enim, cum horum solemnium umbra historica ageretur, similis vox, alman Pontificatus Sionitici faustitatem pre-cans vel augurans, non ita decuit uti Abrahamum Symmysten ac federatum. Huic igitur consentaneas tribuo loquendi vices. Ambigebam tamen aliquamdiu, utrum mutatum in hoc commate alloquium ad Messiam, an ad Melchisèdecum converti intelligerem. A Messia compellati hypothesi retrahabar, quod viderem, Messiam nullo alio, si mea quidem valent rationes, epiphonemate in hoc Dialogismo interpellari, & quod Zionis mentio suffixum in ΤΥ ultro ad Salenicum facerdotem retorquere videretur, cui ex devictis Abrahami hostibus Hierarchica ditio pacatior est adserta; neque metuebam, ne justis poëtice conceptorum vaticiniorum existimatoribus dilutior judicaretur Messiani suprematus indirecta celebratio p), aut obscuratum haberetur explicatus praefas-

p) Est enim per Scriptoris Ep. ad Hebreos θεοφόρου Messias cum Salemico Sacerdote in conjunctione ejusmodi, ut Illius αὐχένα in hunc aliquo modo redundant, decusque ejus sacerdotio ac disciplinæ concilient. Quemadmodum igitur (licet enim rem in hoc exemplo ponere) qui illustri cuidam scholæ, fundatorem veneranti, qui primus, sed absque successore, ejus Rector perpetuus fuit, nunc autem, post Rectorum temporariorum longam seriem, magnum Principem pluribus jam scholis hoc elogio præfustum, Rectorem perpetuum nacte, gratulari vellet Poëta, posset is in dramatica oda personam inducere antiquiori illi Rectori perpetuo, maxime ubi novus reliquas sua ditionis scholas ad principi instituta adornat. ita accinentem, ut huic, audentiore Lyrica figurione, dicat jam sceptrum protendi, eumque in peregrina etiam sapientiae magisterio jam suas partes habere: sic etiam antiquus quidam Sionis Pontifex, per eam habitudinem qua ad Chri-

gium de Ecclesiae Christianae plantatione Hierosolymis inchoanda. Sed posterioribus cogitationibus huc inclinatus sum, ut nec extra eam habitudinem esse judicarem, quam Abrahamus, per superius dicta, ad antiquam & novam Hierocratiae formam sustinet, nec extra affectus, quo in hanc scenam intenderetur, incitationem, si partitas ille haberet decretum promulgandi cum primo præcone vices, ejus autem proclamatio eloquii variatione fieret, ad illus alloquii gratulabundi, quo olim in scena històrica Salemico Hierarchæ fasces submisit, similitudinem inflexa. Sic rationi, quæ me aliorum traxerat, sua manet vis, & unica Messiae compellatio decentissimum habet in oda locum.

b. Supereft alterum argumentum inartificiale, quod primario quidem Abrahamo in hoc secundo commate definitas exultandi & gratulandi Messiae partes tribuit, universæ autem simul totius Psalmi scenam dramaticam confirmat, & submonet, actionem ita esse adornatam, ut inde elucescat Abrahampi ingenua docilitas erga sacerdotem sibi nova divina dispensatione præfectum. Testimonium intelligo Christi Joh. VIII. 56. Hoc autem disquisitionem propriis spatis conclusam eo magis flagitat, quod ad elucidandam ejus effati: Ἀξεῖται τὸν ἡμέραν τὸν ἐκεῖνον, defensionem v. 58. relatam: πάντα Αξεῖται γενέθλιον ἡμέρας, locorum aliquot excussione diligentiore opus esse video. Relpirare igitur hic tantisper nobiscum lectores nostros jubemus.

rianam civitatem & religionem est, si simili excipiatur gratulatione, ad exquisitiorem & præstringentiores Meliani sacerdotii collaudationem id pertinere judicent qui profaciam in talibus non requirunt subtilitatem. Quippe exitura esset indirecta hæc celebratio in hanc mentem: O quantum decoris tibi, Melchisdece, accrescit nova hac Hierocratiae facie inducta, cum dici poterit e Sione, tua disciplina sede, diffundi quaquaversus, per ruptis omnibus adversantium moliminibus, salutiferam doctrinam.



INDEX LOCORUM S. S. EXPLICATORUM
AUT ILLUSTRATORUM.

Genef. 23, 6 . . .	pag. 39. sq.	Thren. 4, 20. . . .	pag. 17. 60.
45, 8	39.	Malach. 3, 1. . . .	40.
Exod. 21, 3. . . .	31.	Sap. 7, 11. . . .	20.
Levit. 16, 21. . . .	20.	Sirac. 10, 4. . . .	20.
Num. 16, 22. . . .	17.	2 Macc. 4, 32. . . .	20.
18, 27. . . .	59.	Matth. 22, 46. . . .	36.
Deut. 33, 10. . . .	61.	Marc. 12, 36. . . .	28.
Jof. 5, 14. . . .	60.	Joh. 1, 18. . . .	55.
Judic. 5, 1. . . .	48.	3, 14. . . .	63.
13, 23. . . .	20.	4, 10. . . .	66.
21, 22. . . .	ib.	6, 50. . . .	66.
2 Sam. 7, 18. . . .	10.	12, 38. . . .	43.
1 Reg. 10, 5. . . .	19.	Actor. 1, 16. . . .	15.
Job. 5, 8. . . .	57.	2, 34. . . .	34.
19, 14. . . .	71.	2, 36. . . .	38.
Pfalm. 2, 9. . . .	74.	4, 25. . . .	16.
8, 3. . . .	47.	24, 25. . . .	20.
9, 7. . . .	33.	Rom. 1, 3. 4. . . .	24. sq.
10, 4. . . .	61.	4, 11. 12. . . .	71.
104, 4. 7. . . .	78.	5, 6. . . .	20.
105, 15. 24. . . .	ib.	6, 6. 7. . . .	30.
112, 8. . . .	47.	1 Cor. 1, 30. . . .	25.
148, 14. . . .	70.	10, 4. . . .	62. 66.
Prov. 13, 24. . . .	52.	14, 32. . . .	17.
20, 11. . . .	48.	15, 25. . . .	46.
Eccles. 10, 20. . . .	20.	— 29	33.
Efaj. 1, 21. . . .	59.	2 Cor. 3, 16. sqq. . . .	25. sq.
2, 2. . . .	62.	Gal. 4, 21. . . .	71.
6, 2. . . .	63.	— 26. . . .	72.
9, 5. . . .	39.	Ephes. 1, 21. . . .	40.
26, 9. . . .	53.	— 20. . . .	47.
53, 1. . . .	43.	Coloff. 1, 12. . . .	25.
— 10. 11. . . .	66. 72.	2, 11. . . .	22.
54, 1. . . .	72.	Hebr. 1, 3. . . .	40.



Hebr. 1, 14.	pag. 41.	Hebr. 12, 9.	pag. 17.
6, 12. 15. sqq.	74. sqq.	13, 2.	31.
7, 2.	55.	1 Petr. 2, 9.	25.
— 11.	57. sq.	— 24.	31.
— 14.	39.	3, 16.	59.
9, 8. — 14.	18. sqq.	Jac. 2, 23.	70.
— 9. 10.	58. 71.	Apoc. 1, 1. 10.	17. 40. 71.
— 15.	22.	2, 7. II.	71.
II, II.	33. 53.	12, 12.	20.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

p. 6. l. 18. leg. *Luc. XX.* p. 7. lin. 5. lege: commemoratione. p. 8. l. 20. leg. τῶν. p. 9. l. 22. leg. hac Synagoga . . . celebravit. p. 19. l. 5. ab ult. leg. σάτην. p. 20. l. 9. leg. *Sirac.* p. 23. l. 12. leg. GRIESBACHIO. p. 27. l. 11. del. super. p. 35. lin. 3. leg. nuda defuneretur antec. . . . adsertione, consequentia vi dis- sentientibus non obverfa; lin. 20. leg. αὐτὴν. p. 37. l. 3. leg. cre- deretur. p. 44. lin. 4. ab ult. leg. Περὶ lin. ult. *antea* lege (an- tea) p. 47. lin. 7. post vim add. cf. *Efr.* VII. 9. p. 48. lin. 7. post Futurorum : add. Hinc verio sexta in Hexapl. Montefalc. & Theodotion, in additamentis ad Hexapl. ex cod. Vatic. a Cl. AD- LERO publicatis, in *Repertor. Literatur. Biblic. & Orient.* Tom. XIV. p. 199. reddunt καταχρήσεις. p. 55. l. 12. post laudaretur add. Cf. Midraschica expositio nominis Salem in *Libro Sohar* col. 327. ed. Suizbac. producta a WOLTERS *Bibl. Brem.* T. III. p. 1085. p. 59. lin. 25. post adhibuit, add. (cf. CÄLLIMACH. *Hymn.* in *Jov.* v. 79. 80.) p. 63. lin. 14. leg. asserturum. p. 66. lin. 10. pro comedì lege: in cibum & potum assumi. p. 10. l. 9. leg. templi. l. 7. ab ult. leg. reges. p. 65. l. 7. leg. mersos.



Fd 3984

ULB Halle
002 164 590


3



TA-OL

V317

M.



Farbkarte #13



I. N. J.
DE
L M I C X.
T E P O Æ T I C O
O A R G U M E N T O
ISTI MATTH. XXII. 41 — 46.

ENTER ADJUVANTE
DOCTORIS THEOLOGI
TE CONSEQUENDO
ITER DISPUTABIT
P R A E S E S
JACOBUS MÜLLER
P. THOM. CANON. ET ECCLESIASTES
CITO RESPONDENTE
HAFFNER, ARGENT. *au*
PÆDAG. ET ECCLESIAST. GALL.

U S T I M D C C L V X X I V .
NTE - ET POMERIDIANIS.

Opis JOH. HENR. HEITZII, Univ. Typogr.